Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de


Adam Francisci

Margarita Theologica Continens Methodicam Explicationem Praecipuorum Capitum doctrinae Christianae,

Witebergae: Witebergae: Bergerus: Crato, 1603

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778722015

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778722015/phys_0001
DFG

F.h-3208.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778722015/phys_0002
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778722015/phys_0003
DFG

Margarita

THEOLOGICA

Continens

METHODICAM EXPLICATIONEM PRÆCIPUORUM Capitum doctrinæ Christianæ,

M. ADAMO FRANCISCI, ABBATE MELIBRUNNENSE,

collecta & conscripta.

Accesserunt è Compendio D. Heerbrandi disputationes M. Johannis Schröderi XIII.

Cum Privileg. Sax. & Brandeburg. speciali.

WITEBERGÆ,

Typis Cratonianis, Impensis Clemens Bergeri Bibliop.

ANNO M. D. CIIC.

A-3208.

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778722015/phys_0006
DFG

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, Dn. GEORGIO FRIDERICO, Marchioni Brandeburgensi, Borussiæ, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiorum, VVandalorum & Silesiæ Duci in Iegerndorff, &c. Burggravio Noribergensi, & Principi Rugiæ &c. Domino suo Clementissimo,

S. D.

CVM FILIVS DEI paulò ante passionem & mortem acerbissimam, discipulis suis de templi Ierosolymitani destructione, & mundi totius interitu quærentibus, ærumnas & calamitates antecessuras tristi oratione prædiceret, dulcissimam hanc consolationem addit: Prædicabitur Evangelium hoc re-

qui in toto orbe terrarum, in testimonium
mnibus gentibus. Matth. 24. Perspicuè
enim confirmat, inter horrendas persecu-
tiones & tristes confusiones dogmatum ac
morum, quæ in fatali Periodo politiæ Iu-
daicæ passim grassaturæ sint, immenso
DEI beneficio veram & incorruptam
Evangelii doctrinam, de spirituali & æter-
no regno Filii DEI, ad collectionem Eccle-
siæ ex Iudæis & Gentibus, publica prædi-
catione propagatum iri per totum orbem
terrarum, ut non solùm homines pii, qui
sensu publicarum & privatarum cala-
mitatum maximè afficiuntur, firma con-
solatione erigantur, & in veris sententiis do-
ctrinæ divinitùs patefactæ confirmentur;
Sed etiam impii, Hypocritæ & Epicuræi, qui
plausibules suas opiniones anteferunt Evan-
gelio & in impœnitentia contumaciter per-
severant, eò gravius iudicium experiantur,
& nullo prætextu impietatem atq; secu-
ritatem suam carnalem excusare possint.
Et sanctè hanc prædictioni tunc post an-

nos

nos quadraginta respondit eventus, cum vox Evangelij prædicatione Apostolorum per totum orbem terrarum sparsa, & mox tristißima πανολεθρία totius politiæ & gentis Iudaicæ secuta fuit: Tamen hæc postrema tempora mundi fatiscentis, & ad interitum properantis, abundè testantur, eandem prædictionem nostra quoque ætate eventu insigni & maximè memorabili confirmatam esse. Cùm enim in hac ultima & delira senecta mundi, multiplicia scelera & horrendæ confusiones, quas Filius Dei velut signa & προγνωστικὰ novißimi diei, sua & Apostolorum voce prædixit, in toto orbe Christiano grassarentur, & Pontifex Romanus cum satellitibus suis, prorsus sepulta, & plus quàm Cimmerijs tenebris involuta doctrina Evangelij, Ecclesiam Filij Dei sanguine redemtam, horribili Idolatria, immensa mole falsarum opinionum, labyrinthis traditionum humanarum, & atrocißimorum flagitiorum scandalis, velut diluvio quodam obruisset: in-

effabilis bonitate clementissimus Deus excitavit, Reverendum & clarissimum Virum, Doctorem MARTINVM LVTHERVM Patrem & præceptorem nostrum omni pietatis & observantiæ cultu dignissimum, & per hoc salutare organum, præstantissimis donis & virtutibus plane Heroicis à Spiritu sancto ornatum atq; instructum, doctrinam Evangelij de salute generis humani, solius Filij Dei obedientia & sanguine parta, non solum à sordibus falsarum opinionum repurgavit, sed etiam in Luce praclarissima per totum orbem terrarum sparsit, frustra frementibus, & bella, vastationes, exilia, supplicia atq; incendia minitantibus Pontificibus & Regibus Orbis Christiani, qui Pontificiam religionem tot seculorum consensu comprobatam, cum distractione Imperij Romani, & Regnorum in Europa perturbatione, convelli & labefactari nolebant. Hoc ingens beneficium Dei, quid aliud esse statuemus, quam μαρτύριον omnibus gentibus propositum,

& vexillum publicè erectum in genere humano, ad quod omnes omnium gentium, nationum, sexuum, ætatum & conditionum homines, post liberationem à jugo Tyrannidis Pontificiæ confugiant, quod piis Evangelium amplectentibus, præter veram & incorruptam doctrinam de singulis articulis fidei Christianæ, firmissimas consolationes suppeditat, quibus mœstitiam suam inter ærumnas & calamitates postremorum temporum leniant, hostibus verò & contemtoribus Evangelii tristissimas pœnas denunciat, eosq; de suo periculo admonitos, ad seriam pœnitentiam, & sincerum amorem doctrinæ divinitùs instauratæ, invitat & excitat. Nec dubium est, paulò post secuturam esse diem illam exoptatissimam, quæ rebus præsentibus finem imponat, & mundi universi interitum adducat, in qua Filius Dei ad judicium universale vivorum & mortuorum rediturus, & in hoc, post integram liberationem & glorificationem Ecclesiæ ex

morte resuscitatæ, pertinaces hostes & contemtores doctrinæ suæ (qui tunc erunt ἀναπολόγητοι, nihilq; impietati & malitiæ suæ prætexere poterunt) cum sociis Diabolis ad æternos gehennæ cruciatus damnaturus est.

Quare beneficium instauratæ doctrinæ & restitutæ lucis divinæ grata mente agnoscamus & celebremus. Cumq; certum sit, non minus miraculum esse Ecclesiæ à Tyrannide Pontificia assertionem, & repurgationem doctrinæ cœlestis à cœno falsarum opinionum, quàm fuit liberatio populi Israëlitici ex servitute AEgyptiaca, & traductio per mare rubrum, maiore cura amplectamur Ecclesiam reformatam, & puritatem doctrinæ cœlestis eò diligentius conservare, & ad posteros propagare studeamus. In primis verò Reges & Principes in hanc curam incumbant, ut Ecclesiam, omnibus viribus & præsidiis humanis destitutam, adversus calumnias injustas, & hostiles molitiones Hypocritarum &

Tyran-

Tyrannorum, patrocinio suo tueantur, & veram atq; incorruptam doctrinam, ministerio S. LVTHERI restitutam, tanquam præclarum depositum à parentibus & majoribus laudatissimis acceptum, auxilio & gubernatione Spiritus sancti, cum ipsi adversus Hæreticorum præstigias & corruptelas constanter custodiant, tum inter subditos suos publica voce per pios & sinceros doctores fortiter propagent, juxta severissimum Dei mandatum Psalm. 2. Et nunc Reges intelligite; erudimini, qui judicatis terram. Servite Domino in timore, & exultate cum tremore. Osculamini Filium, ne quando irascatur, & pereatis in via.

Hoc pium & sanctum officium cum C.T. Illustrissime Princeps, Deo, Ecclesiæ, & subditis tuis sedulo præstet, meritò laudem illam & gloriam consequitur, quam Spiritus sanctus præstantissimis Regibus Iosaphato, Ezechiæ & Iosiæ, in historia sacra [2. Pa-

ralip. 17. v. 18, 2. Reg. 18. v. 13.] lutulentissimo testimonio tribuit. Publice enim fatetur, C. T. se exemplo Clarissimi Patris, Illustrissi. Principis GEORGII Marchionis Brandeburgici, laudatissimæ memoriæ, ab impia colluvie regni Pontificij toto pectore abhorrere, & membrum esse veræ Ecclesiæ Filij Dei, quæ à tetris erroribus liberata, incorruptam Legis & Evangelij doctrinam amplectitur, & legitimum usum Sacramentorum, verosq; cultus Dei cum verbo patefacto congruentes, retinet. Hanc C. T. sincero studio fovet & protegit, hanc munificentia sua, ut matrem piam in extrema & misera senecta, liberalissimè alit & nutrit, & propter hanc sumtibus propè regijs plurimorum adolescentum studia in scholis benè constitutis sustentat ac promovet, ut quovis tempore idoneos & salutares Doctores habere possit. Summa verò atq; admirabili constantia retinet C. T. τὸ ὑποτύπωσιν sanæ doctrinæ, quum ex fontibus scripturæ

Prophe-

Propheticæ & Apostolicæ viva voce inculcavit, & scriptis Orthodoxis posteritati tradidit Lutherus. Cumq; hanc in veteri & genuina Confessione Augustæ exhibita in Apologia ejusdem, in ordinatione Ecclesiastica inclytæ familiæ Brandeburgicæ, & in Formula Concordiæ inter Electores, Principes & Ordines Imperii Augustanam illam confessionem sincerè amplectentes sancita, perspicuè comprehensam, & falsis opinionibus veterum ac recentium Hæreticorum oppositam esse, C. T. intelligat: hæc ipsa scripta, in Ecclesia publicè nota & recepta, unà cum norma verbi divini in libris Prophetarum & Apostolorum, magno zelo acriter defendit C. T. ad quorum præscriptum, velut ad Symbolum commune Ecclesiæ repurgatæ, omnes Ecclesias & Scholas suarum dictionum, severissimè alligat, eorumq; Orthodoxam sententiam omnibus subditis per pios & sinceros Doctores publicè proponi & inculcari, plus quàm paterna solicitudine curat. Quin etiam ne

quid ad summam pietatem, & ad singulare studium illu stranda & propagandæ doctrinæ cœlestis deesse videretur, C. T. mihi indigno Verbi divini ministro anno superiore mandavit, ut ex scriptis Orthodoxis (quæ paulò ante nominata fuerunt) Epitomen quandam colligerem, quæ in hac tetra confusione opinionum & dogmatum studiosæ iuventuti post initia Catechismi D. LUTHERI, Latinè & Græcè percepta in scholis frequentioribus tutò proponeretur, & ex qua ad ministerium Ecclesiæ Ordinandi, prius, quàm docendi munus ipsis commendaretur, publicè vel privatim examinarentur. Etsi autem imbecillitatis meæ optime mihi conscius essem, & probè intelligerem, quàm non solùm difficile esset Iliada post Homerum scribere, sed etiam periculosum, cum testimonio incorruptæ veritatis in publicum prodire: Tamen C. T. mandato, spectandi gloriam Dei, & propagationem Evangelii, cum debita subjectione obtemperare, & veritatis divinæ

confes-

confessionem omnibus periculis, calumniis & odiis humanis anteferre volui.

Collegi igitur ex scriptis supra commemoratis, mediocri studio & diligentia Epitomen totius doctrinæ Christianæ, diu hactenus in Ecclesiis & scholis C. T. desideratam, eamq; Catechetica Memethodo, quæ omnium simplicissima est, per interrogationes & responsiones distinxi, ut à studiosis adolescentibus & Tyronibus sacrarum literarum facilius percipi & animo infigi posset. Neq; vero res ipsas tantùm, sed etiam Phrases & formas loquendi, quæ in scriptis sæpius allegatis extant, fideliter & accurate retinui, ut publicè constaret, Ecclesias & scholas harum regionum non gignere novum genus doctrinæ, sed cum C. T. & cum tota inclyta familia Brandeburgica, quæ hanc epitomen unanimi consensu clementer approbavit, constanter tueri confessionem veræ doctrinæ, quam Illustriss. Electores & Principes Brandeburgici, cum Ecclesiis Orthodoxis per Germa-

niam, inde usq; à prima reformatione constantia & fide religiosa, eodem modo sine omni mutatione per Dei gratiam foverunt ac sonuerunt. Ac tantum abest, ut aliorum doctiß. & clariß. virorum in hoc genere edita scripta, vel suspecta reddere, vel corrigere, vel in contemtum adducere, vel ex manibus juventutis aliorumq; hominum excutere voluerim, ut potiùs res ipsas in Thesi & Antithesi, Phrases item & formas loquendi ab Orthodoxa Ecclesia receptas, imò integras sententias & Periodos, cum ἀναλογίᾳ fidei congruentes, ex ipsorum scriptis desumptas, huic libello candidè & dextrè inseruerim, & hoc ipso testatus fuerim, me & ὀρθοδοξίᾳ & ὁμονοίᾳ cum illis præstantißimis Theologis conjunctum esse, & magnam iis, qui adhuc superstites sunt, gratiam debere, quòd non solùm scriptis, sed etiam judiciis & censuris suis eruditißimis, plurimum me in hac Epitome adjuverunt. Nec dubito, hanc meam voluntatem, & operam qua-

tem.

lemcunq; omnibus bonis & rectè sentientibus gratiam, Ecclesiis vero & scholis harum, aliarumq; regionum, Deo feliciter gubernante, utilem ac salutarem futuram esse.

Cum autem ad C. T. omni jure deferatur, quod ab ejus excellenti pietate, & ardenti studio conservandæ & propagandæ incorruptæ veritatis, profectum est, Epitomen hanc meam (quam cum Filio DEI Matth. 13. Margaritam Theologicam libenter nomino) C.T. humillimè dedico & offero, & ab hac, qua possum & debeo subjectione, majorem in modum peto, ut eandem in patrocinium suum suscipere, & me meosq; cum propter laboriosam hujus Epitomes collectionem, tùm propter alia per annos triginta fideliter, ut spero, præstita servitia, deinceps quoque paterna sua gratia clementissimè complecti dignetur.

Quod reliquum est, æternum DEUM, Patrem Domini ac Salvatoris nostri IESU CHRI

SV CHRISTI, toto pectore oro ut propter Filium unigenitum, C. T, unà cum Illustrissima conjuge, & inclyta Domo Brandeburgica, in confessione veræ & incorruptæ doctrinæ, quam nobis immensa bonitate his postremis temporibus restituit, per Spiritum sanctum usq; ad extremum conservet, & juxta promissionem Psa. 122. Beati qui diligunt Ecclesiam: lætis successibus, omnibusq; beneficijs animæ & corporis ornet: lucem quoq; Evangelij in his regionibus accensam, adversus tenebras errorum, & falsarum opinionum præstigias tueatur, Ecclesiam sanctam internos, & posteros nostros perpetuò sibi colligat, & mentes docentium ac discentium ad amorem veritatis & studium concordiæ flectat, ut uno spiritu, una fide, & ore uno in hac vita, & in omni æternitate ipsam celebremus, sicut Filius ejus summus Pontifex & Mediator noster, ante agonem ardentissimè precatus fuit Ioh. 17. Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos

dedi-

dedisti mihi, ut sint unum, sicut nos unum sumus. Sanctifica eos in veritate tua, sermo tuus est Veritas.

ONOLDINAE, *Anno XCII. 19. Novemb: quo ante annos 178. Illustriss. Princeps* ALBERTVS, *Marchio Brandenburgensis, Elector, ob res egregiè & fortiter gestas, cognominatus* ACHILLES GERMANICVS, C. T. *proavus, in hanc lucem editus fuit.*

C. T.

subjectiss:

Adamus Francisci, Abbas Monasterii Heilsbrunnensis.

Sum. ex libris Andreae Rösichs pharmacopaei Stettinensis. 1603

IN


INDEX LOCORVM Theologicorum, qui in hoc Libello explicantur.

Fol. i. I. De Doctrina Christiana.
Fol. 10. II. De DEO & tribus Personis Divinitatis.
Fol. 21 III. De Incarnatione Filii DEI.
Fol. 66. IV. De Creatione.
Fol. 81. V. De Lege DEI.
Fol. 93. VI. De Peccato.
Fol. 107 VII. De Libero Arbitrio.
Fol. 119 VIII. De Evangelio.
Fol. 125 IX. De Iustificatione.
Fol. 150 X. De Bonis operibus.
161 XI. De Ecclesia.
XII. De Ministerio Ecclesiastico.
XIII. De Sacramentis.

De

XIV. De Baptismo.
XV. De Pœnitentia.
XVI. De Cœna Domini.
XVII. De Prædestinatione.
XVIII. De cruce & consolationibus opponendis scandalo Crucis.
XIX. De Invocatione & gratiarum actione.
XX. De Libertate Christiana.
XXI. De Adiaphoris.
XXII. De Magistratu politico
XXIII. De Conjugio.
XXIV. De fine Mundi & resurrectione mortuorum.
XXV. De extremo judicio & vita æterna.

MAR-



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778722015/phys_0024
DFG

I.

MARGARITÆ THEOLOGICAE,

Locus I.

DE DOCTRINA CHRISTIANA.

Quam tu doctrinam profiteris?

DOctrinam Christianam, quâ solâ colligitur DEO æterna Ecclesia ex genere humano, peculiariter placens DEO, & electa ad vitam ac salutem æternam.

Vnde nomen habet Doctrina Christiana?

Ab autore Christo, unigenito Dei Filio, qui hanc doctrinam Ecclesiæ suæ patefecit, cùm magna ex parte esset ignota omnibus creaturis, ut Ioh. 1. v. *18.* dicitur: DEUM nemo vidit unquam.

unquam, unigenitus Filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit.

Quæ & qualis est doctrina Christiana?

Est doctrina de verbo DEO, de veris cultibus DEI, de Filio ejus Iesu Christo, & de vita æterna, partim nota naturaliter, insita hominibus in Creatione, partim non nota naturaliter, sed patefacta divinitus, & scriptis Prophetarum atque Apostolorum, comprehensa, per quam solam DEUS efficax est in hominibus & credentibus confert vitam ac salutem æternam, ut gravissime Filius DEI Ioh. 17. v. 3. testatur. Hæc est vita æterna, ut agnoscant te (Patrem) solum verum DEUM, & quem misisti Iesum Christum.

Quot sunt præcipuæ partes doctrinæ Christianæ?

Duæ: Lex & Evangelium, quas brevissime complectitur Christus Luc. 24. v. 47. cum de officio & doctrina

ctrina ministerii Apostolici inquit: Oportet prædicari in nomine meo pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes.

Quomodo differunt Lex & Evangelium?

Tria sunt præcipua & maximè illustria discrimina.

I. Primum sumitur à forma patefactionis. Lex enim naturaliter nota est, cum mentibus humanis in prima creatione insita, & post lapsum non prorsus extincta sit. Rom. *1.* v. *19.* & *3.* v. *14.* Evangelium vero non est natura notum, sed à Filio Dei peculiariter revelatum. Iohan. *1.* v. *17.* Ephes. *1.* v. *9.* & *3.* v. *9.*

II. Sumitur à promissionibus. Lex promittit vitam, aliaque bona spiritualia & corporalia, sed cum conditione perfectæ obedientiæ, Lev. *18.* v. *18.* Ro. *10.* v. *5.* Evangelium vero promit-

tit remissionem peccatorum, justitiam & vitam æternam gratis, propter solum Christum fide apprehensum, sine conditione perfectæ obedientiæ nostræ erga legem, Rom. 3. v. 5. & 4. v. 5.

III. Tertium, à propriis officiis & effectibus. Lex monstrat, accusat & damnat peccatum, & horribiliter terret conscientias, denuncians horrendam iram Dei, & damnans omnes homines propter peccatum. Deut. 27. v. 17. Evangelium verò monstrat gratiam & misericordiam Dei, in Filio Mediatore promissam, & efficaci consolatione erigit perterrefactas conscientias, accendens lætitiam in Deo acquiescentem, & vitam æternam, juxta dict. Ro. 1. v. 16. Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.

Quæ est causa certitudinis in doctrina Christiana?

Auco-

Autoritas & patefactio divina, quæ extat in scriptis Prophetarum & Apostolorum. Huc accedunt & alia testimonia.

I. Miracula addita huic doctrinæ divinitus.

II. Mira efficacia eiusdem in consolandis & erigendis pavidis mentibus.

III. Universalis experientia omnium piorum, in quotidiana invocatione & exercitiis pœnitentiæ.

IV. Antiquitas huius doctrinæ, de qua præclare Tertullianus: Primum quodque verissimum (*Tertull. in lib. adversus Praxeam*)

V. Series Doctorum præstantium, Prophetarum nimirum & Apostolorum, & summus inter eos consensus.

VI. Eventus vaticiniorum & prædictionum.

VII. Odium & furor diaboli adversus hanc doctrinam,

VIII. Miranda defenſio & conſervatio cùm doctrinæ ipſius, tùm Eccleſiæ, quæ hanc doctrinam inde uſque ab initio profeſſa fuit.

IX. Neces multorum martyrum.

X. Tragicæ pœnæ hoſtium. Hæc omnia pias mentes convincunt, hanc doctrinam à Deo traditam, & propter Deum autorem, certam atque immotam ejus veritatem eſſe.

Quæ ſunt inſtrumenta neceſſaria miniſtro Eccleſiæ, ad rectè diſcendam Doctrinam Chriſtianam?

Tria potiſſimum, Oratio, Meditatio & Tentatio (quibus Reverendus vir, & Sanctus Pater ac Præceptor Dn. D. Luther. teſtatur (*in Præfatione Tomo 1. Operum ſuorum Germ:*) Se Theologum factum eſſe.) Meditatio autem diligentem lectionem ſcriptorum Propheticorum & Apoſtolicorum: Catecheſin ſeu brevem ſummam totius doctrinæ: Artes dicendi:

di: Exercitia disputationum: Notitiam linguarum: Commentarios & scripta Patrum: Historiam Ecclesiæ & imperiorum; Denique sacram & sobriam philosophiam, cum Theologia conjunctam, complectitur.

Qui sunt effectus doctrinæ Christianæ?

Horum sex numerari possunt,

I. Primus, vera agnitio Dei, juxta dictum. Psal. 36. v. 10. In lumine tuo videmus lumen.

II. Vera invocatio Dei, Rom. 10. v. 13.

III. Præsentia & inhabitatio totius Divinitatis in homine credente, Ioh. 14. v. 23.

IV. Certa & vivifica consolatio in omnibus ærumnis. Rom. 15. v. 4.

V. Regula vitæ, & norma bonorum operum, Psal. 119. v. 105.

VI. Vita & salus æterna, Ioh. 17. v. 3. Esaiæ. 53. v. 11.

Quid interest inter doctrinam Christianam, & alias sectas?

Omnes aliæ sectæ extra veram Ecclesiam, ut Ethnici, (Philosophi saniores) blasphemi Iudæi, Mahometistæ, & alii, tantum docent particulam Legis, de quibusdam externis & civilibus officiis, & addunt cultus idololatricos, alii alios. Prorsus autem ignorant Filium Dei & Evangelium, id est, promissionem de gratuita remissione peccatorum, & de reconciliatione, & de hæreditate vitæ æternæ, donandæ per fidem in Filium Mediatorem. At in Ecclesia (amplectente & profitente doctrinam Christianam) retinetur (aliàs magis, aliàs minus) integra & incorrupta Legis & Evangelii doctrina, & notitia Filii Dei crucifixi pro nobis & resuscitati, juxta dictum Ioh. 10. v. 27. Oves

meæ

meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me. Item: Ego cognosco oves meas, & vicissim cognoscor ab illis.

Quid sentiendum est de scriptis Patrum, de Conciliis, eorumq; decretis?

Scripta Patrum, Concilia, eorumque decreta eatenus probanda & recipienda sunt, quatenus ad normam verbi divini in scriptis Prophetarum & Apostolorum congruunt. Si verò ab hac norma discrepant, aut cum ea ex Diametro pugnant, non solùm improbanda, sed etiam planè rejicienda sunt, juxta dictum Pauli. Galat. 1. v. 8. Si quis aliud Evangelium docuerit, etiamsi Angelus è cœlo fuerit, Anathema sit.

Qui errores de Doctrina Christiana damandi & fugiendi sunt?

Primùm, Fanaticorum, qui doctrinam Christianam solius Ecclesiæ

propriam, aliarum gentium religionibus similem esse sentiunt, eamq; cum Philosophia confundunt,

Deinde Satellitum Pontificiorum, qui Patrum scripta, & Pontificum atq; Conciliorum decreta, exæquant, aut præferunt doctrinæ cœlesti, cujus divina est autoritas.

Tertiò, Anabaptistarum & Enthusiastarum, qui superbè deridenᵗ doctrinam cœlestem, tanquam literam mortuam, & contemtis scriptis Prophetarum & Apostolorum, peculiares revelationes, & raptus violentos de cœlo expectant.

Locus II.

DE DEO ET TRIBUS Personis Divinitatis.

Quid

Quid est DEUS?

DEUS est essentia spiritualis, intelligens, æterna, alia à creaturis omnibus, verax, bona, justa, casta, misericors, benefica, liberrima, immensæ sapientiæ & potentiæ, irascens peccatis, Pater æternus, qui Filium imaginem suam ab æterno genuit, & Filius imago Patris coæterna, & Spiritus Sanctus procedens à Patre & Filio, sicut patefacta est Divinitas certo verbo & testimoniis divinis, quod Pater æternus cum Filio & Spiritu Sancto condiderit, & (præsens regat atq;) conservet cœlum & terram, & omnes creaturas, & adsit omnibus creaturis, quo ad conservationem, & colligat sibi in genere humano Ecclesiam, propter Filium, & per eum, & sit judex justorum & injustorum.

Quot sunt Dii?

Unus est DEUS, qui se ab initio certo verbo & illustribus testimoniis generi humano patefecit.

Quomodo probas unitatem DEI?

Testimonia sunt, Deut. 6. v. 4. Audi Israel, IEHOVA DEUS noster, IEHOVA unus est. Esa. 44. v. 6. Hæc dicit IEHOVA Rex Israel: Ego sum primus & novissimus, præter me non est DEUS. 1. Cor. 8. v. 4. Non est alius DEUS, nisi unus. 1. Tim. 2. v. 5. Unus est DEUS, & unus Mediator DEI & hominum, Homo Christus Iesus.

Quot sunt Personæ Divinitatis?

Tres: Pater, Filius & Spiritus sanctus, ὁμοούσιοι καὶ συνεάδιοι æquali potentia, majestate & gloria ab æterno.

Quomodo probas Trinitatem personarum?

Testimonia illustria sunt Genes. 1.

v. 3.

v. 3. Pater æternus, quem Moses dicentem introducit, ab æterno genuit Verbum, per quod omnia facta sunt. Hoc verbum est Filius, λόγος & imago Patris. Spiritus sanctus autem fertur super aquas, suo calore fovens & vivificans res creatas. Psal. 33. v. 6. Verbo Domini cœli facti sunt, & spiritu oris ejus omnis exercitus eorum. Iohan. 14. v. 16. Filius inquit: Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis, quem Pater mittet in nomine meo. 1. Iohan. 5. v. 7. Tres sunt qui testimonium perhibent in cœlo, Pater, λόγος seu Filius, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt.

Differuntné in hac Doctrina de Deo, Essentia, & Persona?

Omninò differunt. Essentia, οὐσία nominatur, quod revera est, etiamsi est communicatum. Persona, ὑπόστασις

vel ὑφιστάμενον, est subsistens vivum, individuum, intelligens, incommunicabile, non sustentatum ab alio. Hinc utitate dicitur: In divinitate unam esse Essentiam divinam, & tres personas, quibus illa una Essentia divina communis est.

Quare tres tantum sunt personæ Divinitatis, non plures, nec pauciores?

Quia Divinitas sic se patefecit, in baptismo Christi Matth. 3. v. 16. Ubi Pater æternus de Filio, stante in ripa Jordanis, clara voce clamat: Hic est Filius meus dilectus. Et Spiritus sanctus specie columbæ descendens in Filio baptizato requiescit. Et in formula nostri Baptismi Matth. 28. v. 19 dicitur: Baptizate eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Quid est Deus Pater?

Est

Est prima persona Divinitatis, non nata, nec aliunde procedens, sed quæ (ex semetipsa existens) ab æterno genuit Filium imaginem suam, & à qua (sicut à Filio) procedit Spiritus sanctus, & quæ cum Filio & Spiritu sancto, omnes alias res creavit, & earum substantias conservat.

Quid est Deus Filius?

Est secunda persona Divinitatis, quæ est substantialis & integra imago æterni Patris, quam Pater ex sua substantia ab æterno genuit, & à qua (sicut à Patre) procedit Spiritus sanctus, & nobis sic manifestatur, quòd sit (λόγος seu verbum illud æternum, per quod Pater cœlum & terram creavit) & mittitur, ut patefaciat Evangelium, & assumat humanam naturam, & sit Mediator, Redemptor, Justificator, & Salvator.

Quid est DEUS *Spiritus Sanctus?*

Est tertia persona Divinitatis, procedens à Patre & Filio, & est substantialis amor & lætitia coæterna inter Patrem & Filium, & nobis sic manifestata est, quod mittatur in corda credentium, ut tales motus, amorem & lætitiam in Deo acquiescentem in eis accendat, qualis est ipse, sicut 2. Tim. 1. v. 7. expressè scriptum est: Non dedit nobis spiritum timiditatis, sed roboris, dilectionis Dei, & castificationis.

Quomodo discernuntur hæ tres personæ Divinitatis?

Proprietatibus certis, quarum aliæ sunt internæ, aliæ externæ.

Quæ sunt proprietates internæ?

Quod Pater à nullo est, sed ab æterno genuit Filium imaginem suam, juxta dictum. Filius meus es tu, Ego hodie genui te, Psal. 2. v. 7. Filius à Patre genitus est ab æterno,

unde

unde etiam λόγος & imago Patris nominatur. Et Iohan. 1. v. 14. dicitur: Vidimus gloriam ejus, gloriam velut unigeniti à Patre. Spiritus sanctus ab æterno procedit à Patre & Filio, juxta dictum: Iohan. 15. v. 26. Cum venerit paracletus, spiritus veritatis, qui à Patre procedit, ille de me testificabitur. Et Paulus inquit, Galat 4. v. 6. Quia estis Filii, misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem ABBA PATER.

Quæ sunt proprietates externæ?

Quod Pater æternus mittit Filium & spiritum sanctum, & est creator, qui cum Filio & Spiritu sancto ex nihilo condidit cœlum & terram, & omnes creaturas sustentat.

Filius mittitur à Patre, ut assumat humanam naturam, & est Mediator inter Deum & homines, qui perfectissima sua obedientia liberat genus

humanum à peccato & morte, & meretur credentibus remissionem peccatorum, Iustitiam & vitam æternam.

Spiritus Sanctus mittitur à Patre & Filio, ad Ecclesiam, & est Sanctificator, convertens & illuminans corda, & accendens in eis novos motus Deo placentes.

Quis est usus doctrinæ de Deo & tribus personis divinitatis?

Ut Deus rectè à nobis agnoscatur & invocetur. Ita enim à nobis agnosci & invocari vult, sicut se in verbo suo patefecit, ut Esaiæ 8. v. 20. dicitur: Ad legem & testimonium.

Quod est discrimen veræ & falsæ invocationis?

Duæ sunt præcipuæ differentiæ. Altera dé Essentia DEI. Altera de voluntate. Ethnici & alii impii, negant hunc esse DEUM, qui se patefecit misso Filio, æternum Patrem, Filium &

um & Spiritum sanctum. Aberrant igitur Ethnici à vero DEO, & alloquuntur aliud quiddam commentitium, quod non est verus & patefactus Deus. Ideo scriptum est Iohan. 4. v. 22. Vos nescitis quid invocetis. Deinde ignorant promissiones & Mediatorem, ideò manent in perpetua dubitatione, & ignorant, an & quare exaudiantur. ECCLESIA verò alloquitur verum DEUM, patefactum illustribus testimoniis, & agnoscit eum, sicut se patefecit. Scit etiam promissiones, & agnoscit Mediatorem, & scit, Deum velle invocari & exaudire fiducia Mediatoris, sicut ipse Dominus inquit: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Iohan. 16. v. 23.

Qui errores de Deo damnandi & fugiendi sunt?

Ethni

I. Ethnicorum, fingentium innumerabilem multitudinem Deorum, quibus omninò similes sunt Pontificii in ἀποθεώσει & idololatrica invocatione sanctorum.

II. Epicuræorum, negantium Deum & providentiam.

III. Stoicorum, allegantium Deum ad causas secundas, cùm sit agens liberrimum.

IV. Manichæorum, qui duo principia posuerunt, Bonum & Malum.

V. Valentinianorum, qui triginta αἰῶνας seu Deos finxerunt.

VI. Sabellianorum, qui personas divinitatis tantum vocabulis differre, & unum Deum pro diversitate officiorum, aliàs Patrem, aliàs Filium, & aliàs Spiritum sanctum nominari contenderunt.

VII. Arrianorum & Eunomiarum, quorum illi Divinitatem Filii, hi Divinitatem Spiritus sancti negarunt.

Iudæo-

VIII. Iudæorum & Mahometistarum, qui unum Deum conditorem cœli & terræ invocant, Tres vero Personas Divinitatis, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, non agnoscunt, sed prorsus negant, & contumeliosè rejiciunt.

IX. Samosatenorum veterum & Neotericorum, qui cùm tantùm unam personam Divinitatis esse contendant, de Verbo & Spiritu sancto astutè & impiè rhetoricantur, quod non sint personæ distinctæ, sed quod verbum significet verbum vocale, & spiritus motum in rebus creatum. Horum similes sunt Antitrinitarii in Transylvania, Vngaria & quibusdam locis Poloniæ.

Locus. III.

DE INCARNATIONE FILII DEI.

Quæ

Quæ persona Divinitatis assumpsit humanam naturam?

Filius, qui est coæterna imago æterni Patris, & nominatur λόγος à Iohanne, assumpsit humanam naturam in Maria virgine matre (ex ejusdem substantia) ut Johan. *1.* v. *14.* dicitur: Et Verbum Caro factum est.

Quare Filius nominatur λόγος seu verbum?

Duplici respectu: Primùm, respectu Patris, quia est expressa imago substantiæ Patris, & splendor gloriæ paternæ, Hebr. *1.* v. *3.* Deinde respectu nostri, quia est persona proferens Evangelium ex sinu æterni Patris, & conservans ministerium Evangelii, per quod efficax est in credentibus, dicens in cordibus eorum consolationem, & vivificans eos, sicut inquit, Ioh. *10.* v. *28. Ego vitam æternam do eis.*

Quæ

Quæ potissimum in Filio DEI *incarnato consideranda sunt?*

Duo: Persona ejus, & officium. Utrunq; complectitur Paulus, Galat: 4. v. 4. Deus misit Filium suum natum ex muliere, factum sub Lege, ut eos, qui sub Lege erant, redimeret.

Quæ in persona Filii Dei incarnati consideranda sunt?

Tria. Duæ Naturæ, naturarum unio, & unionis effectus.

DE DUABUS NATURIS.

Quæ sunt Naturæ in persona Filii Dei incarnati?

Divina, ab æterno genita à Patre, & humana, in tempore à Spiritu sancto concepta, & ex Maria virgine nata. Propter has duas naturas, Filius DEI verus DEUS est, & ex substantia Patris ante secula genitus, &

verus

verus Homo, ex substantia matris in seculo natus, ut Athanasius in Symbolo loquitur.

Quomodo probas divinam Filij Dei naturam?

Testimonia manifesta sunt:

Psal. 2. v. 7. Filius meus es tu, Ego hodie genui te.

Ierem. 23. v. 6. & 33. v. 16. Vocabitur Iehova Iustitia nostra.

Mich. 5. v. 2. Egressus eius ab initio à diebus æternitatis.

Iohan. 1. v. 1. In principio erat Verbum & verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.

1. Iohan. 5. v. 5. IESVS CHRISTVS DEI *Filius, hic est verus* DEVS, *& vita æterna.*

Roman. 9, v. 5. Christus secundum carnem ex patribus natus est Deus benedictus in secula.

Quomodo probas Humanam Filij Dei naturam?

Testi-

Testimonia manifesta sunt.

Gen. 3. v. 15. Semen Mulieris conteret caput Serpentis.

Esaiæ 7. v. 14. Ecce virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.

Esaiæ 9. v. 6. Puer natus est nobis, & Filius datus est nobis.

Iohan. 1. v. 14. Verbum caro factum est, & habitavit in nobis

Philip. 2. v. 7. In similitudine hominum constitutus & habitu inventus, ut Homo.

Ebre. 2 v. 16. Non Angelos, sed semen Abrahæ assumsit.

Quæ est ratio duarum Naturarum in Filio DEI?

Planè diversa, ut in omnem æternitatem nulla earundem exæquatio fieri possit. Divina ab æterno est ὁμοούσιος Patri. Humana non est ab æterno sed certo tempore cœpit ὁμοούσιος

σῶ cæteris hominibus.

DIVINA est Essentia spiritualis, increata, infinita, immensa, impassibilis & immortalis.

HUMANA est Essentia corporea, creata, infinita, suis dimensionibus circumscripta, passibilis, & mortalis.

Deniq; divina Natura habuit rationem personæ ab æterno, etiam antè assumptionem humanæ naturæ. Humana vero non est persona, neq; habet rationem personæ, sed in ὑποστάσει τοῦ λόγου subsistit, à quo in unitatem personæ suæ assumta est.

Assumsitnè Filius Dei integram humanam naturam, aut aliquam ejus partem?

Cum assumtio humanæ naturæ propter nos homines, & propter nostram salutem facta sit, ut integrum hominem liberaret Filius Dei, etiam

inte-

integram naturam humanam, corpore & anima rationali constantem, ex immaculata, & per Spiritum sanctum sanctificata massa, carnis & sanguinis Mariæ, assumsit, non aliquam ejus patrem, ut Valentiniani & Apollinaristæ delirarunt, quorum illi corporis, hi animæ assumtionem negârunt. (*Quin imò cum corpore & anima rationali* Filius DEI *simul etiam proprietates naturales, omnesq; infirmitates, affectus, appetitiones & vires, humanæ naturæ proprias & ordinatas, assumsit, ut per omnia nobis fratribus suis similis esset, absq; peccato*, Ebre. 2. v. 17. & 5. v. 7. *Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens, ut Athanasius in Symbolo testatur, contra Manichæos veteres & recentes, qui Christum carnem humanam alterius speciei seu substantiæ, nostræ dissimilem, assumsisse fingunt.*)

Quare

Quare Filium Dei Mediatorem oportuit esse Deum?

Causæ sex sunt. I. Ut arcanum consilium Divinitatis de Redemptione generis humani nobis hominibus revelare, & vicissim gemitus nostros exaudire, & ad Patrem perferre posset.

II. Ut totam molem peccati in se recipere, legis maledictionem perferre, & immensam iram Dei, totius Mundi peccatis accensam sustinere & placare posset.

III. Ut regnum Diaboli destruere, & abolita morte, vitam æternam restituere posset.

IV. Ut obedientia ejus esset λύτρον & precium sufficiens, pro omnibus totius Mundi peccatis.

V. Ut Spiritum sanctum, per quem sanguine Mediatoris redempti, cum Deo arctissimè copulamur, à Patre

nobis

nobis impetraret, & opulenter in nos effunderet.

VI. Ut semper & ubiq; Ecclesiæ omnibusq; credentibus adesse, adversus Diabolum & organa ipsius eos defendere, ex Morte eripere, & ad vitam æternam resuscitare posset.

Quare Filium DEI Mediatorem oportuit esse hominem?

Causæ itidem sex sunt. I. Ut per hominem satisfieret pro peccatis, cum ordo Iustitiæ divinæ postularet, ut quia homo peccaverat, etiam homo peccati pœnam persolveret.

II. Ut totum genus humanum æterna morte puniendum, in humana massa Mediatoris conservaretur, & ab interitu vindicaretur.

III. Ut inter homines persona innocens esset, quæ obedientia sua Legi perfectè satisfaceret, & reliquos homines à Legis maledictione liberaret.

IV. Ut per hominem restituerentur dona fraude Diaboli à primis parentibus amissa, & Diabolus per hanc ipsam massam humanam confunderetur, quàm antea funditus evertere conatus fuerat.

V. Ut homo per omnia tentatus ad similitudinem aliorum hominum, esset ἀρχιερεὺς ἐλεήμων καὶ συμπαθής, in sufferendis infirmitatibus nostris, & nos in tentationibus atq; ærumnis nostris, eò alacrius ad eum accedere, eumq; cum majore fiducia invocare possemus, Ebr. 2. v. 17, & 5. v. 7.

VI. Ut natura humana unita τῷ λόγῳ veniret in κοινωνίαν virtutis, potentiæ, Majestatis, & gloriæ divinæ, ut esset medium salutare, per quod nos homines rursus cum Deo conjungeremur, & omnium donorum cœlestium, ex Deitate τοῦ λόγου profluentium, participes redderemur.

DE

DE UNIONE NATURARUM.

Quomodo Filius Dei assumsit humanam naturam?

Talis est assumtio, ut huic personæ soli, quæ est λόγος, massa humanæ naturæ assumta, sit unita unione hypostatica, id est, ut sit unum ὑφιστάμενον, λόγῳ sustentans hanc massam & ipsa massa humanæ naturæ assumta. *Ergone λόγος tantum sustentat humanam naturam, quam hypostaticè sibi univit?*

Nequaquam, sed in ὑποστάσιον suam ita eam assumsit, ut eam sine omni confusione & exæquatione consortem ac participem fecerit, cum sui ipsius, tum omnium proprietatum suarum, siquidem tota plenitudine suæ Deitatis, in natura humana assumpta, corporaliter inhabitat, ut Paulus Coloss. 2. v. 9. testatur.

Quid igitur est unio hypostatica?

Est arctissima & indissolubilis copulatio duarum naturarum, divinæ & humanæ, totius Trinitatis operatione facta, qua λόγος immutabilis in seipso permanens naturam humanam integram, & nobis hominibus ὁμοούσιον, ex immaculata Virgine Maria, sine omni peccato, virtute Spiritus sancti, in unitatem personæ suæ, quæ ab æterno fuit, ita assumsit, & propriam sibi fecit, ut hæc in hypostasi ejus inseparabiliter subsistat, & in omnem æternitatem, salva manente differentia Naturarum & proprietatum Essentialium, λόγος & assumta natura, sint unum ὑφεστάμενον perfectum, & duæ naturæ distinctæ, divina & humana veram ac realem communionem, sine omni confusione, transmutatione, & exæquatione, inter se habeant, ita ut λόγος cum tota plenitudine Deitatis

suæ in assumta natura habitans, divinæ suæ virtutis & gloriæ eam participem reddat, & non solùm in statu exinanitionis totum opus redemptionis, sed etiam in statu exaltationis officia Regni, Sacerdotii, & Dominii sui in ea cum ea & per eam, administret, & perficiat.

Quot sunt gradus præsentiæ DEI?

Quatuor, quos ad declarationem unionis hypostaticæ plurimum considerare prodest.

Quis est primus gradus?

Primus gradus est præsentia universalis, quæ est præsentia conservationis, qua Deus omnibus creaturis adest, ita ut conservet eas tantisper, donec vult eas conservare. De hoc gradu dicitur Iere. 23. v 24. Nonné cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus? Item: Enter præsenter Deus hic etubiq; potenter. (*Iuxta hunc*

gradum etiam maiùs adest. Et manifestum est Deum sic separabiliter rebus adesse, q ia destruit naturas, quas vult destruere, ut Pharaonem, & maximam partem generis humani in diluvio.

Quis est secundus gradus?

Secundus gradus est, quo adest beatis Angelis & hominibus in vita æterna, & conservat non tantum vitam eorum, sed etiam vivificat eos vita æterna, & implet eos sua luce & Iustitia, & visibiliter atq; immediatè conspicitur ab eis, & quanquam non discedit ab eis, tamen adest eis tantum societate.

Quis est tertius Gradus?

Tertius gradus est, quo adest in hac vita renatis, ut Davidi, quo videlicet non tantum vitam eorum conservat, sed etiam efficit in eis motus sibi placentes, & tamen non conspicitur visibiliter, ut in vita æterna conspicietur, & adest separabiliter.

Quis

Quis est quartus Gradus?

Quartus gradus longè alius est, quo sola hæc persona λόγου, assumsit humanam naturam, non solum inseparabiliter sed etiam tali ratione, ut sit unum ὑφιστάμενον: in quo natura assumta, non tantum gestatur & sustentatur à λόγῳ, sed etiam cum ipso λόγῳ & proprietatibus atq; actionibus ejusdem, sine omni conversione confusione, transmutatione & exæquatione, veram ac realem communionem habet, ut † vetustas orthodoxa similitudine ferri candentis, & animæ atque corporis in homine, evidenter demonstravit & confirmavit.

† (*Basilius in Homilia de Nativitate Christi.*
Iustinus in expositione fidei.
Athanasius in Symbolo)

Quomodo igitur differt unio hypostatica ab aliis gradibus præsentiæ Dei?

Differentia ſpecifica hæc eſt, quod λόγ@ humanam naturam, propria perſonalitate (ut ſcholaſtici loquuntur) dēſtitutam, non ſolùm in unitatem perſonæ ſuæ, in qua ſubſtantiam ſuam ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, ἀναλλοιώτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως, καὶ ἀδιαστάτως habet: *Damaſ. lib. 3. Orthodox. fidei cap. 3.*) ſed etiam in κοινονίαν ſeu communionem divinæ ſuæ majeſtatis, virtutis, potentiæ, & gloriæ aſſumſit, eamq; ita ſibi propriam fecit, ut totus in ea tota luceat, ut eam ubicunq; eſt, in cœlo, in Eccleſia, in Sacramentis, in cordibus credentium, & apud omnes creaturas in cœlo & in terra, ſine omni diſtantia, ſemper præſentiſſimam habeat, ſuamq; majeſtatem, virtutem, potentiam, & gloriam divinam in ea, cum ea, & per eam exerat atque exerceat.

Rectenè

Rectenè & propriè dicitur, Deus est Homo, *Et*: Homo Christus est DEUS?

Omninò: Ita enim scriptura sacra loquitur:

Filius Mariæ, est Filius altissimi, Lucæ 1. v. 32.

Filius Hominis est Filius Dei vivi, Matt. 16. v. 16.

Verè hic Homo Filius Dei est, Marc. 15. v. 29.

Secundus Homo est Dominus de cœlo, 1 Cor. 15. v. 47. Germen Davidis est Iehova, Ierem. *23.* v. *5.* Et Maria laudatissima illa virgo non hominem tantùm, sed Deum quoque genuit, ideoque verè & propriè Θεοτόκος Deipara; & Dei genitrix ab Angelo Luc. *1.* v. *13.* nominatur.

DE EFFECTU UNIONIS Hypostaticæ.

Quis est effectus unionis hypostaticæ?

Κοινωνία, seu communicatio proprietatum & operationum, quæ inter duas naturas hypostatice unitas verè & realiter intercedit.

Differuntne unio hypostatica, & communicatio Idiomatum seu proprietatum?

Omnino differunt, sicut causa & effectus, antecedens & consequens. Nam unio hypostatica ordine naturæ, non autem tempore, antecedit communicationem Idiomatum, seu proprietatum, quæ ut consequens & effectus, ab unione hypostatica, tanquam ab antecedente, & causa dependet.

Quot sunt species κοινωνίας seu communicationis, quæ est effectus unionis hypostaticæ?

Tres, ortæ ex triplici differentia eorum, quæ unionem hypostaticam, cum in ipsa persona Filii Dei, tum in

humа-

humana ejus natura, scripturæ sacræ, & Ecclesiæ Orthodoxæ testimonio, consequuntur.

Quæ sunt illæ tres species κοινωνίας seu communicationis?

Prima est κοινωνία ἰδιωμάτων, seu communicatio proprietatum.

Secunda est κοινωνία ἀποτελεσμάτων, seu communicatio officiorum.

Tertia est κοινωνία δώρων, seu communicatio donorum, quæ non tantùm dona creata & finita, sed etiam increata & infinita seu θεῖα ἀνυχήματα, † Damasceno teste complectitur.

(† *lib. 3. Orthodox. fidei, cap. 4. 7. & 15.*

Quid est κοινωνία Idiomatum seu proprietatum?

Est prædicatio non verbalis, sed realis, in qua ea, quæ unius tantùm naturæ propria sunt, non alteri naturæ seorsim, quasi separatæ, sed toti personæ, quæ simul Deus & Homo est,

in concreto attribuuntur, ut: *Deus est passus, crucifixus, mortuus.* Item: *Homo Christus est æternus, creator cœli & terræ.*

Quid est Concretum?

Concretum, in hac doctrina, est vocabulum significans personam seu ὑφιστάμενον, constans duabus naturis, ut: *Deus, Filius DEI, Dominus gloriæ, Homo Christus, Filius hominis, Semen mulieris.*

Quid est abstractum?

Abstractum in hac doctrina est vocabulum significans naturam, in ipsa Unione hypostatica per se consideratam, ut Deitas, *Divina natura: Humanitas, Humana natura.*

Quare proprietas unius naturæ tribuitur personæ in concreto?

Ut Personæ unitas adversus Nestorium, & differentia naturarum adversus Eutychen conservetur. Ideo scriptura subjecti loco ponit concretum.

tum: Deus *sanguine suo redemit Ecclesiam*, Actor. *20. v. 28. Dominum gloriæ crucifixerunt Iudæi*, *1. Cor. 2. v. 8.*

Quare proprietas unius naturæ non tribuitur alteri naturæ in abstracto?

Quia fieret confusio naturarum, confusis inter se proprietatibus. Ideo scriptura in hac specie utitur particula distinctiva, quæ ostendit, secundum quam naturam aliquid personæ tribuatur. *Christus genitus est ex semine David secundum carnem*, Romanor. *1. v. 3. Christus passus est carne*, *1.* Pet. *4. v. 1.*

Vera nè est sententia, Quod sola humana natura pro nobis passa sit, exclusa τῦ λόγε divina natura?

Nequaquam vera est, & si vera statuitur, labefactatur salus nostra, & totum opus redemptionis nostræ, in dubium vocatur. Ipse Filius Dei

λογῷ, qui natura Deus est, verè passus est pro nobis, non in Deitatis suæ natura, quæ simpliciter est ἀπαθὴς sed in Natura humana, quam ita sibi univit, ut omnes passiones ejus sibi proprias fecerit. Ideo Paulus expressè inquit, Rom. 8. 32. *Deus proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Et Johannes Apostolus 1. Iohan. 1. v. 7. testatur, Quod sanguis Filii Dei emundet nos ab omni peccato.

Itané divina Natura est omnipotens, ut humana ab eius omnipotentia prorsus sit exclusa?

Nequaquam. Sequeretur enim divulsio Personæ, hoc modo divulsis naturis, & earundem proprietatibus. Etsi enim natura humana in se, per se, secundum se, Essentialiter, seu proprietate Essentiæ suæ, nunquam fit omnipotens: tamen omnipotentiæ τῷ λόγῳ in persona ejusdem, propter

pter arctissimam unionem, personaliter & realiter, fit particeps, sine omni confusione & exæquatione, cum divina τῆ λόγῳ natura, ut in tertia specie copiosius declarabitur.

Quid est κοινωνία ἀποτελεσμάτων, seu communicatio officiorum?

Est prædicatio non verbalis, sed realis, in qua appellationes officiorũ Christi, tribuuntur personæ ejus, non secundum alteram tantum Naturam, sed secundum utramque Naturam divinam & humanam, ut: *Christus est Mediator, Redemptor, Iustificator, Salvator, Rex, Sacerdos, Pastor, Caput Ecclesiæ.*

Quare appellationes officiorum tribuuntur Personæ Christi secundum utramque Naturam?

Quia ambæ naturæ in opere Redemtionis, & in administratione atq; executione officii Christi, cum meritò, tum efficacia concurrunt,

& ex utriusq; naturæ actione unum commune ἀποτέλεσμα, oritur quod utriusq; naturæ opus est seu effectum ab utriusq; naturæ actione distincta, non autem separata, productum. Agit enim una Natura cum communicatione alterius, quod uniuscujusq; proprium est, ut † Synodus Chalcedonensis loquitur.

(† *Evagrius lib. 2. cap. 4.*

Ergonè humana natura in administratione Regni & Sacerdotii Christi, tantum propria agit, & ab actionibus divinis prorsus exclusa est?

Nequaquam. Sequeretur enim hic quoque divulsio personæ, divulsis naturis, & earundem actionibus. Contrà verò, quemadmodum humana natura in passione & morte κοινωνὸς fuit divinæ, & socia victoriæ, qua contritum est caput serpentis: ita ejusdem κοινωνὸς & socia est

in

in administratione Regni & sacerdotii officiis, & in iisdem cooperatur, non tantùm secundum proprietates & vires naturales, sed etiam secundum virtutem & potentiam divinam, quàm ex unione hypostatica, & *ex vera atq; reali κοινωνία* cum divina natura accipit, ut in sequenti tertia specie mox declarabitur.

Quid est κοινωνία δώρων seu communicatio donorum & majestatis?

Est prædicatio non verbalis, sed realis, in qua naturæ humanæ, assumtæ à λόγῳ præter essentiales proprietates, viresque naturales, tribuuntur dona, non creata tantùm & finita, sed etiam increata & infinita, quæ sunt attributa τῦ λόγυ propria, in quorum *κοινωνίαν ὁ λόγ*ος humanam naturam per unionem hypostaticam verè & realiter assumsit, ut: *Tota plenitudo Deitatis corporaliter habitat in*

Christus

Christo, Coloss. 2. v. 8. *Caro Christi est vivificatrix*, Iohan. 6. v. 55. *Et sedet ad dextram virtutis & majestatis divinæ*, Luc. 22. v. 69. Ebr. 8. v. 1.

Quid sunt dona creata & finita?

Sunt qualitates ipsi humanæ naturæ à primo incarnationis tempore, formaliter, habitualiter & subjectivè inhærentes, quæ pro ratione ætatis, majus subinde incrementum acceperunt, & in statu gloriæ omnium angelorum & hominum beatorum dona, cùm numero, tùm gradibus longissimè superant. De his Lucas 2. v. 52. loquitur, Cùm puerum Iesum spiritu confortatum, & sapientia, ætate ac gratia apud Deum & homines creviſſe & profeciſſe, testatur.

Quid sunt dona increata & infinita?

Sunt proprietates divinæ Naturæ τὰ λόγια, quæ humanæ Naturæ, non formaliter, habitualiter,

aut

aut subjectivè inhærent, ac si in eam ex divina Natura Essentialiter effusæ, aut transfusæ essent, sed personaliter eidem communicantur, juxta rationem & dispensationem unionis hypostaticæ, quæ humanam naturam τῦ λόγυ ipsius, & proprietatum ejus, sine omni effusione, transfusione, confusione & exæquatione, vere ac realiter participem fecit.

Habesne testimonia scripturæ de propriis attributis divinis, humanæ naturæ Christi communicatis?

Maximè. Christus enim Iohan. 6. v. 55. Carnem suam vivificum cibum & sanguinem suum vivificum potum esse docet. Matt. 28. v. 18. diserte fatetur: Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra. David Psal. 8. v. 6. testatur, Christum gloria & honore coronatum, constitutum esse Dominum super opera manuum Dei & omnia subjecta esse pedibus ejus.

Rur-

Rursum Christus apertè fatetur Mat. 8. v. 20. Ubi duo aut tres congregati sunt in nomine meo, in medio eorum sum. Matth. 28. v. 20. Ecce egò vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi. Paulus de Christo inquit: Quod ascenderit supra omnes cœlos, ut omnia impleret, Ephes. 1. v. 10. Idem in Christo omnes thesauros sapientiæ & scientiæ Dei absconditos esse, & in ipso totam plenitudinem Deitatis corporaliter habitare docet, Coloss. 3. v. 9. Eundem ad dexteram Dei exaltatum esse affirmat, super omnem principatum, potestatem, virtutem & dominationem, Ephes. 1. v. 20. Eiq; nomen datum esse ex gratia, qnod super omne nomen est, ut in nomine IESU omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & inferorum, & omnis lingua confiteatur, quod IESUS CHRISTUS sit Dominus

in

in gloria DEI Patris, Philip. 2. v. 10. Similiter de adoratione ejus dicitur Psal. 45. v. 12. Ipse est Dominus tuus, & adorabis eum, Item: Adorabunt eum omnes Angeli, Psal. 97. v. 6.

Cujus naturæ respectu hæc testimonia scripturæ accipienda sunt?

Non divinæ naturæ respectu, ut Zwingliani & Calvinistæ contendunt: Quia divina natura est simpliciter immutabilis, & ἀϊδιοτελὴς ab æterno, ut nihil ei in tempore dari aut conferri possit, sed humanæ naturæ respectu, quæ cum mutabilis sit, per unionem hypostaticam perficienda, & in meliorem statum transferenda fuit (*Et regula communissima maximo totius Ecclesiæ & orthodoxæ consensu approbata hæc est. Quòd omnia, quæcunq; scriptura Christo in tempore data esse confirmat, non secundum divinam, sed secundum humanam naturam intelligenda*

sint,

genda sint, cui, quæ non habuit, in tempore collata sunt.)

† Athanas. citante Theodoreto Dialog. 2.

Basilius contra Eunomium lib. 4.

Quemodo igitur divinæ proprietates humanæ naturæ Christi communicata sunt?

Communicatione non verbali, nec Physica, nec essentiali: sed reali, hyperphysica & personali, qua λόγος suas proprietates intra suam ὑποστασιν perpetuo retinens, humanam naturam in unitatem suæ ὑποστάσεως assumtam, simul etiam in κοινωνίαν seu communionem suarum proprietatum assumsit, & evexit, ita, ut omni sua majestate, virtute & gloria, in natura humana luceat, & in ea, cum ea, & per eam, divinam suam virtutem, majestatem & efficaciam liberrimè exerat, & exerceat, sine omni confusione, transmutatione &

ne & exæquatione, sicut in κοινωνίᾳ animæ & corporis in homine, ferri & ignis in lamina candente fieri videmus.

Quando hæc communicatio divinarum proprietatum seu majestatis divinæ, in humana natura facta est?

Mox in conceptionis seu incarnationis initio, cum unio hypostatica duarum naturarum in utero Mariæ virginis facta fuit. [*Tunc enim ὁ λόγος tota plenitudine Deitatis suæ in massa assumta habitare cœpit, & hæc ipsa massa τῷ λόγῳ, qui est altissimus, Luc. 1. v. 32. personaliter unita, in summam majestatem ac gloriam super omnes creaturas exaltata atque evecta fuit.*]

Cur autem hæc majestas & gloria humanæ Naturæ non semper conspecta fuit, cùm Christus in terris versaretur?

In causa fuit status exinanitionis, in quo Christus, cum in forma Dei esset,

seipsum exinanivit, ut Apostolus loquitur, Philip. 2. v. 7. Et majestatem, virtutem, potentiam ac gloriam divinam, quam in ipso conceptionis seu incarnationis initio, ex unione hypostatica secundum naturam humanam acceperat, sub assumta servi forma occultavit, nec semper eam exercuit, sed quando, & quomodo ipsi visum fuit, ut pro peccatis generis humani pati & mori posset.

Quamdiu duravit status exinanitionis?

Usque ad lætissimam resurrectionem & glorioſam ascensionem in cœlum. (*Tunc enim Christus alium statum, Exaltationis nimirum, inchoavit, in quo, depositâ servi forma cum omnibus infirmitatibus, majestatem, virtutem, potentiam & gloriam divinam, prius occultatam, in humana natura manifestè exercuit, & plenissimè usurpavit, & nunc ad dextram Dei Patris omnipotentis collocatus, non*

tan-

tùm ut Deus, sed etiam ut Homo, secundum humanam naturam, omnia novit, omnia potest, omnibus creaturis præsens est, & omnia, quæ in cœlo & in terra sunt, sub pedib. suis habet, ut Christus ipse Matt. 28. v. 18. testatur: Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra. Paulus Ephes. 4. v. 10. inquit: Christus ascendit supra omnes cœlos, ut omnia impleret. Et Petrus ait [1. Epist. 3. v. 22.] Christus est in dextera DEI, profectus in cœlum, subjectis sibi Angelis & potestatibus, & virtutibus.]

Quid complectitur sessio ad dexteram Dei?

Exaltationem Christi secundum humanam Naturam, non solùm in regno & Sacerdotio, sed etiam in Dominio super omnes creaturas, [ut hæc persona, quæ Deus & Homo est, secundum utramq; naturam, atque ita etiam secundum humanam assumtam, in consortio sacro sanctæ Trinitatis, & in

throno Dei proprio æquali virtute, potentia, Majestate & gloria cum Deo Patre regnet, & eximia officia Regni & Sacerdotii sui, ad salutem Ecclesiæ administret, & omnibus creaturis in cœlo & in terra potenter dominetur, & in administratione Regni, Sacerdotii ac Dominii sui, humanam naturam cooperatricem habeat, non tantum secundum essentiales eius proprietates, & dona creata & finita, formaliter ipsi inhærentia, sed etiam secundum virtutem, potentiam, Majestatem, & gloriam divinam, cum qua natura assumta propter unionem hypostaticam, & propter collocationem ad dexteram DEI, ita veram ac realem communionem habet, ut omnium operationum divinarum consors sit, & cum divina natura in persona Filii DEI incarnati, ab omnibus Angelis & hominibus sanctis una λατρεία colatur, adoretur & invocetur.

Qui

Qui errores de Persona Christi damnandi & fugiendi sunt?

Errores de persona Christi fugiendi.

1. Primùm, Ebionis, Cerinthi, Samosateni, Photini, Arii, & Serveti, qui divinam in Christo Redemtore nostro Naturam negarunt.

2. Valentini, Cerdonis, Marcionis Manis, & similium fanaticorum, qui humanam in Christo Naturam vel negarunt prorsus, vel pro Phantasmate & spectro inani habuerunt.

3. Nestorii, qui negata Idiomatum communicatione, duas naturas hypostaticè unitas distraxit, & duas ex ipsis Personas constituit.

4. Eutychis, qui duas in Christo naturas confudit, ut nostro tempore Schwenkfeldius, naturam humanam in divinam mutatam, ab eaque prorsus absorptam esse docuit.

5. Monophysicarum, & Monotheletarum, quorum illi unam naturâ, hi unam voluntatem in Christo statuerunt.

6. Sacramentariorum, Zwingliano-rum, Calviniſtarum & Ieſuitarum in Regno Pontificio, qui eo ipſo Neſtorii hæreſin hoc infelici ſeculo renovant, quod unionem hypoſtaticam tantùm nomina communia facere contendunt, & veram ac realem communionem naturarum negant, & divinam naturam ab opere Redemptionis noſtræ in paſſione ac morte ſeparant, humanam verò Naturam à divinis operationibus in regno, ſacerdotio ac Dominio Chriſti excludunt, eiq; omnem majeſtatem, virtutem, potentiam, & gloriam divinam detrahunt.

Quid? Quòd profani iſti homines Arianas blaſphemias manifeſtè ſtabiliunt, dum Chriſtum hominem non propriè, ſed figuratè Deum eſſe docent, eiq; omnem poteſtatem in cœlo & in terra, ſecundum divinam naturam, propter exinanitionem Di-

vini

vinitatis, in tempore datam esse vociferantur.

DE OFFICIO CHRISTI.

Quæ considerandæ sunt in officio Christi?

Tria Meritum Christi, Efficacia Christi, & utriusq; meriti & efficaciæ, fructus. Hæc omnia complectitur Paulus, Galat. *3.* v. *13.* Christus nos redemit à maledictione legis, factus maledictum pro nobis, ut benedictio Abrahæ veniret inter gentes, & nos promissionem spiritus acciperemus per fidem.

Quid est meritum Christi?

Meritum Christi est tota ejus obedientia, quam præstitit æterno Patri pro nobis, & agendo & patiendo, cum pro nobis perfectè servavit legem, & legis maledictionem in se derivavit, factus victima pro peccatis nostris in cruce. [*Ad hoc meritum pertinent intercessio, & deprecatio Chri-*

sti, conformitas ejus cum lege, ejus passio, mors, sepultura, descensus ad inferos, resurrectio & ascensio in cœlum.]

Quid est efficacia Christi?

Efficacia Christi est applicatio meriti, quæ fit credentibus, cum Christus in vera conversione imputat credentibus suam justiciam, & donata remissione peccatorum, accendit in cordibus ipsorum novos motus Deo placentes, & mirabiliter eos regit ac servat in hac vita, donec resuscitet eos ex morte ad vitam beatam & immortalem [*ad hanc efficaciam pertinent sessio Christi ad dexteram Dei, exaltatio, in Regno, Sacerdotio & Dominio, miranda gubernatio & defensio Ecclesiæ, pœnæ hostium, & judicium universale vivorum & mortuorum in die novissimo.*]

Quid est fructus meriti atque efficaciæ Christi?

Fructus

Fructus meriti atqs efficaciæ Christi sunt beneficia Christi, quæ merito suo nobis peperit, & efficacia sua omnibus agentibus pœnitentiam, & in ipsum credentibus, distribuit & applicat per ministerium Verbi & Sacramentorum.

Quotuplicia sunt beneficia Christi.

Duplicia: Privativa & Positiva, ut in scholis nominantur.

Quid sunt beneficia Christi privativa? Sunt ἀνάιρεσις τῶν κακῶν, seu destructio malorum, quibus propter peccatum premitur genus humanum, videlicet liberatio ab ira DEI, à peccato, morte, potestate diaboli, maledictione Legis, & damnatione æterna.

Quid sunt beneficia Christi positiva? Sunt θέσις τῶν ἐυεργετημάτων, seu restitutio bonorum, quæ ad salutem

necessaria sunt generi humano, videlicet, reconciliato cum Deo, remissio peccatorum, imputatio justitiæ, ἡσυχία, Spiritus sanctus, tranquillitas conscientiæ, lætitia in Deo acquiescens, vita & beatitudo æterna.

Quomodo fit applicatio beneficiorum Christi?

Vera fide, qua quisque in seria confessione hæc beneficia apprehendit, eaq; ad sese in specie ex immensa misericordia Dei pertinere statuit, juxta exemplum Pauli, dicentis Galat. 2. *vivo fide Filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semet ipsum pro me.*

Recita igitur præcipua nomina officij Christi?

Præcipua nomina officii Christi sunt quod Christus est Mediator, Redemptor, Iustificator, Salvator, Rex & summus Sacerdos Ecclesiæ.

Quid

Quid est Mediator?

Mediator est persona inter Deum irascentem peccato, & genus humanum, reum peccati & iræ Dei, constituta, ut Iustitiæ Dei satisfaciat, sustineat iram & pœnam pro peccato, deprecetur pro reis, applicet sua merita, & invocantium preces ac gemitus exaudiat.

Quid est Redemptor?

Redemptor est persona à Deo ordinata, quæ λύτρον seu precium æquivalens pro peccatis generis humani Deo Patri persolvit, & ejus justitiæ satisfecit, præstita perfecta obedientia, & pœnis in se translatis, quas totum genus humanum meruerat.

Quid est Iustificator?

Est persona à Deo ordinata, quæ meritum obedientiæ suæ applicat credentibus, ut propter ipsius obedientiam, passionem & mortem, ju-

ſtificentur coram Deo, accipiant remiſſionem peccatorum, reconciliationem juſtitiæ, & hæreditatem vitæ æternæ, & in ſe ipſis ſentiant novam juſtitiam ac vitam, quæ etſi in terris ſaltem inchoatur, tamen in cœleſti conſuetudine conſummabitur, cum Deus erit omnia in omnibus, 1. Cor. 15. v. 28.

Quid eſt Salvator?

Eſt perſona à Deo ordinata, quæ credentes, Deo reconciliatos, & ſanguine ſuo redemtos ac juſtificatos, potenter ſervat in mundo, adverſus diabolum & ejus organa, & Eccleſiam non tantùm in hac vita mirabiliter gubernat ac defendit: ſed etiam ex mortuis reſuſcitatam, & ab omnibus malis liberatam, in vita æterna cœleſti gloria ornabit.

Quid eſt Rex?

Eſt perſona à Deo ordinata, quæ ſibi Eccleſiam ex genere humano per

mini-

ministerium Evangelij omnibus mundi temporibus colligit, & liberat eam à peccato & morte, & sanctificat eam, dato Spiritu Sancto, ut sit æterna ipsius hæreditas, & mirabiliter eam regit ac protegit in hac vita, adversus furores Diaboli, malorum hominum, eamq; ex morte resuscitat ad vitã & gloriam æternam.

Quid est summus Sacerdos Ecclesiæ?

Est persona à Deo ordinata, & Spiritus Sancti plenitudine uncta, ut in genere humano revelet arcanam voluntatem Dei, de redemptione & salute hominum, & doceat Evangelium à se ex sinu Patris prolatum, & sacrificio corporis sui iram Dei, adversus peccata hominum placet, & toti Ecclesiæ remissionem peccatorum, justitiam & vitam æternam mereatur, perpetuò ei adsit, donetq; credentibus Spiritum sanctum & ingrediens in arcanũ consiliũ Divini-

tatis; intercedat & deprecetur pro tota Ecclesia, habens promissionem, quòd certo exaudiatur, & beneficia Novi Testamenti, sanguine suo parta, credentibus applicet, & veram notitiam Dei, veram fidem & invocationem in cordibus amplectentium Evangelium accendat, eorumq; preces ac gemitus clementer exaudiat.

Quomodo Christus officium suum administrat & exequitur?

Secundum utramque naturam, divinam & humanam. [*Divina cum humana in opere Redemtionis, Humana verò cum diuina, in operibus regni, Sacerdotij, & Dominij, non solùm meritò, sed efficaciâ concurrente, ut supra in secunda & tertia specie κοινωνίας seu communicationis explicatum fuit.*

Implevitne Christus Legem?

Omnino. Idq; pro nobis peccatoribus juxta dictum Pauli Gala. 4. v. 4. *Deus misit Filium suum natum ex muliere, &*

re & factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant redimeret.

Quot modis implevit Christus Legem?

Duobus modis ad meritum ipsius pertinentibus. Primum suâ propriâ obedientiâ. quam pro nobis præstitit agendo, dum Legem perfectè fecit & servavit in omnibus apicibus, quos nos facere & servare non poteramus.

Deinde suâ propriâ obedientiâ, quam pro nobis præstitit patiendo, dum in se derivavit pœnas peccatorum nostrorum, & pro nobis sustinuit maledictionem legis in passione ac morte.

Quot modis Christus instaurat legem in nobis?

Duobus modis ad efficaciam eius pertinentibus. Primum restituendo in nobis iusticiam & vitam æternam. Deinde docendo veram sententiam

legis & sanciendo legem, ut perpetuo sit & maneat norma operum, in hominibus renatis & non renatis.

Qui errores de officio Christi damnandi & fugiendi sunt?

Primum Papistarum qui officium Mediatoris transferunt in sanctos, & Christum obedientia sua pro peccato originis tantùm satisfeciſſe docent, & homines propriis operibus peccata actualia, expiare, iram Dei placare & justitiam ac vitam æternã mereri posse somniant, & Pontificem Romanum summum sacerdotem & caput Ecclesiæ constituunt.

Deinde Sacramentariorum, Zwinglianorum, Calviniſtarum, & Iesuitarum, qui præterquam quòd divinam naturam Christi ab opere Redemtionis in passione ac morte, quam soli humanæ naturæ seorsim tribuunt, separant, etiam humanam ejus naturam, ab operibus Regni, Sacerdotii

dotii & Dominii, in statu gloriæ vel excludunt prorsus, vel divinæ naturæ tantùm secundum proprietates Essentiales & vires naturales, cooperari docent.

Tertiò, merito reprehendendus est Calvinus, qui primam promissionem Gen. 3. non de semine mulieris benedicto, contrituro caput serpentis Sed de naturali odio & dissidio serpentis & hominis, Ethnico more interpretatus est.

Locus IIII.

DE CREATIONE.

Quid nominas Creare?

Creare, est ex nihilo aliud facere, sicut Deus cœlum & terram, Angelos, & totam hanc Mundi machinam (omnipotenti Verbo suo) ex nihilo fecit, non ex aliqua præcedenti æterna materia, ut multi Philosophi cogitaverunt.

Quid

Quid est Creatio?

Est actio Dei externa, qua Deus liberrima voluntate alias res omnes, visibiles & invisibiles, virtute Verbi sui, non ex aliqua præexistente materia, sed ex nihilo condidit, & ordine dispposuit, ut immensam suam bonitatem, sapientiam & potentiam infinitam patefaceret, & ex genere humano ad imaginem suam condito, Ecclesiam sibi colligeret, cui bona sua communicaret, & ab ea vicissim agnosceretur & celebraretur.

Cuius personæ opus est Creatio?

Est opus commune trium personarum Divinitatis, æterni Patris, Filii & Spiritus sancti, juxta regulam usitatam. † Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa. Et Psal. *33.* v. *6.* expresse dicitur: Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum.

(† *August. Tract. 20. 95. & 110, in Ioha.*

Cur

Cur autem in Symbolo soli Patri tribuitur Creatio?

Quia pater est fons & origo totius Divinitatis, à qua res omnes creatæ sunt. [*Cumquè cæteræ personæ alias habeant notas incurrentes in oculos, per quas agnosci possunt: ut Filius per assumtionem naturæ humanæ, Spiritus sanctus per speciem visibilem columbæ & flammarum; tribuitur Patri Creatio, tanquam signum & nota externa, monstrans Patrem, eumq; à cæteris personis discernens.*]

Quando res omnes à Deo *creatæ sunt?*

In principio creavit Deus cœlum & terram, inquit Moses Gen. 1. v. 1. Docet n. Mundum & totam seriem rerum creatarum, non fuisse ab æterno, sed certo tempore cœpisse, tunc videlicet, quando Deus voluit; qui solus ante Mundi creationem fuit ab æterno. Numerantur autem à principio conditi Mundi anni 5555.

usque

usque ad hunc annum præsentem à nato Christo Salvatore. 1599.

Ex qua materia res omnes creatæ sunt?

Ex nulla materia præcedente aut præexistente, sed ex nihilo, dicente, seu iubente Deo, iuxta sententiam Psal. 33. v. 5. & 148. v. 5. Ipse dixit, & facta sunt, Ipse mandavit, & creata sunt.

Quomodo res omnes creatæ sunt?

Non casu nec fatali aliqua necessitate, sed liberrima voluntate Dei, per verbum, quod est ipse Filius λόγος, ut à Iohan. c. 1. v. 1. nominatur. Ideo Psal. 115. v. 6. & 135. dicitur: Deus noster in cœlo omnia quæcunque voluit, fecit. Et Iohan. 1. v. 3. testatur, omnia per λόγον facta esse, & sine eo factum esse nihil, quod factum est.

Quo ordine res omnes creatæ sunt?

Moses sex diebus, cœlum, terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, à Deo condita esse testatur, Gen. 2. v. 1. & Exodi 20. v. 9. (*Ordinem vero creationis diserte describit Genes. 1. v. 2. &c. Quod* Deus *primo die rudem & informem massam ex nihilo produxerit, quæ fuit materia cœli & terræ omniumque rerum cæterarum. Huic massæ eâdem die Lux addita est quæ etsi non tam clara fuit, quam solis jubar postea creatum, tamen ab ortu in occasum mota est, & discrimen diei ac noctis effecit.*

Secundo die condidit Deus Firmamentum hoc est, totam ætheream regionem, sphæris cœlestibus distinctam, quæ ab Astronomis describuntur.

Tertio die, terram ab aquis undique circumfusis divisit, ut appareret arida, eamque herbis & arboribus omnis generis exornavit.

Quarto

Quarto die, Solem, Lunam, & Stellas condidit, quibus Firmamentum seu Regionem ætheream expolivit.

Quinto die, pisces & volucres, diversa temperamento ex aquis productas.

Sexto die, Animalia bruta, & post hæc Hominem, formatum ad imaginem Dei, ut esset Possessor ac Dominus omnium rerum creatarum.]

Suntne Angeli quoq; à Deo creati?

Omninò, juxta dictum Psalmi 104. v. 4. Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem flammantem. [*Quando autem & quo die Angeli creati sint, ex Mose non constat, Verisimile est, eos cum Luce primo die conditos esse, ut quidam ex veteribus senserunt.*]

Quotuplices sunt Angeli?

Duplices: Boni & Mali. *Etsi enim omnes Boni creati sunt à Deo, tamen plurimi libera voluntate, & propria culpa,*

facti

facti sunt mali, cum per inobendientiam avertissent se à Deo conditore, qui summa bona in ipsos contulerat.

Quid est Angelus Bonus?

Angelus Bonus est substantia spiritualis, creata à Deo, ut in ea se Divinitas inter spirituales naturas patefaciat, & in creatione ornata notitiis Legis & aliis, libertate voluntatis, & justitiæ. Deinde verò confirmata in bono, videlicet in dilectione Dei, Angelorum, & piorum hominum, in veritate & castitate, ut nunquam à Deo deficiat, ordinata, ut quanquam natura præstantior est: tamen Ecclesiæ serviat, [*ut voluntas Dei conspiciatur, qui vult fortiores servire inferioribus, & studium humilitatis approbat, Psal. 91. v. 11. Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.*]

Quid est Angelus Malus?

Est substantia spiritualis, creata à

Deo,

Deo, ornata in creatione notitiis Legis & aliis, libertate voluntatis, & justicia. Deinde vero propria voluntate liberè aversa à Deo, contemto Filio Dei, & abjecta in pœnas sine fine furens odio Dei, mendax, blasphema, & odio Dei, sævitiam exercens in genus humanum, impellens alios ad alia scelera, ad blasphemias ad mendacia, ad cœdes, ad libidinum confusiones, non ut ipsi melius sit, sed propter ἐπιχαιρεκακίαν & ut Deum ac Dominum nostrum Iesum Christum contumelia afficiat. (*Iohan. 8, v. 44. Diabolus homicida est ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in ipso. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est & ejus rei Pater.*)

Quid est homo?

Homo est substantia rationalis, constans corpore & anima, condita à Deo ex limo terræ, ad ipsius imagi-

nem

nem & similitudinem, hoc est, ornata in creatione, non solum sapientia, intellectu Legis divinæ, & multiplici rerum cognitione: sed etiam libertate voluntatis, iustitia, veritate & aliis virtutibus Deo placentibus, ut perpetuo celebraret Deum, eiusq; lætitia & vita in omni æternitate frueretur.

Quid est anima hominis?

Anima hominis est substantia spiritualis, condita à Deo ad imaginem ipsius, i. e. intelligens, verax bona libera, & iusta, quæ est altera ac potior pars hominis nec extinguitur, cum à corpore discesserit, sed est immortalis, & dum in corpore est, sua ipsius voluntate à Deo deficere, & trahente Deo, rursus ad ipsum converti potest.

Quid est imago DEI in homine?

Imago Dei, ad quam Homo in prima creatione conditus fuit, est similitudo & confirmitas cum Deo, seu

recti-

rectitudo omnium virium in homine, congruens cum archetypo, seu conditore DEO, videlicet, in mente hominis clara Lux, & illustris notitia Dei, rerumq; bonarum: In voluntate firma assensio de DEO & verbo ejus, obedientia vniversalis, complectens ardentem dilectionem Dei, & omnes virtutes excitatas ac flagrantes: in corde omnium affectuum & appetitionum conformitas cum justicia Dei, expressa in Lege, & assidua lætitia acquiescens in DEO per Spiritum sanctum, [*quæ summa bona in hominem collata erant, ut in eo, velut in templo suo habitaret* DEUS, *& in hac imagine sua immensa cum lætitia & voluptate perpetuo acquiesceret. Ita paulus Apostolus definit imaginem Dei, Ephes. 4. v. 24 Coloss. 2. v. 9. &c.*]

Ad quem finem res omnes creavit.
Deus;

Vt suam bonitatem, sapientiam

& po-

& potentiam infinitam, Angelis & hominibus patefaceret, & ab his vicissim perpetuo celebraretur. Cumq; hominis caussa res omnes crearit, simul testari voluit, se curare vitam hominum, & creaturas omnes ad usum necessarium vitæ humanæ ordinatas esse, ut æterna Ecclesia ex genere humano colligi posset.

Itané Deus res omnes creavit, ut post creationem ab iis discesserit, & nihil eas curet?

Nequaquam, sed verè adest rebus creatis, & easdem providentia ac cura sua complectitur, ut tantisper, donec vult, serventur ac sustententur, juxta dictum Ioha. 5. v. 17. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Et Paulus Actor. 17. v. 28. inquit: *In ipso vivimus, movemur & sumus.*

Quid est Providentia.

Est actio Dei, qua non solum omnia cernit, & futura prævidet sed

etiam naturam universam à se conditam gubernat, & res omnes in suo ordine sustentat ac conservat, & generi humano, inprimis vero Ecclesiæ suæ, de omnibus necessariis prospicit, juvans ac defendens bonos, malos vero reprimens, et metas constituens quousque eos tolerare, & ubi eos reprimere ac punire velit.

Quotuplex est actio Dei circa res creatas?

Duplex: Generalis & Specialis.

Quid est actio Dei generalis?

Qua Deus totam naturam rerum & res omnes à se conditas, sustentat & gubernat, juxta ordinem causarum secundarum, quem in prima creatione instituit, [*ut, quod ordinem motuum cœlestium, virtutem elementorum, vices temporum, fœcunditatem terræ, propagationem specierum, totumque naturæ cursum, eo modo servat ac regit, quem ipse sapientissimo consilio ab initio sanxit.*]

Quid

Quid est actio Dei specialis?

Qua ut agens liberrimum, & non alligatum ad causas secundas, in natura rerum multa agit, præter & contra ordinem, in prima creatione institutum, & causas secundas vel adjuvat, vel impedit pro suo arbitrio, imprimis vero in Ecclesia salutares actiones efficit per Spiritum Sanctum, eamque non tantùm fovet & protegit, sed etiam ex periculis liberat, præter & contra ordinem secundarum causarum, cum à tota natura rerum destituta esse videtur. [*Sic, volente & mandante* Deo, *aquæ maris rubri contra naturam in sublimi consistunt, Exod. 14. v. 22. Sol in pugna Iosuæ stat immotus, Iosuæ. 10. v. 13. & in ægrotatione Ezechiæ per horas decem retrocedit, 2. Reg. 20. v. 11. Ioseph, Moses, David, Daniel, ex præsenti periculo mortis mirabiliter eripiuntur & servantur à Deo.*

Qui errores de Creatione damnandi & fugiendi sunt;

1. Primùm Epicureorum, qui & creationem & providentiam negarunt omniaq; ex fortuito atomorum concursu facta esse, & casu volui atq; confundi senserunt.

2. Deinde Stoicorum, qui duo æterna principia finxerunt, Mentem & Materiam, & Deum allegarunt causis secundis, nec quicquam aliter fieri posse senserunt, quàm causæ secundæ cient,

3. Tertiò Aristotelis, & aliorum Philosophorum, qui Mundum ab æterno fuisse, & in æternum mansurum esse statuerunt.

4. Simoniarum & Cerinthianorum, quorum illi Mundum ab Angelis, hi à Diabolo conditum esse docuerunt.

5. Quinto Manichæorum, & Flacianorũ, qui tetro suo dogmate Quod peccatum originis sit ipsa hominis

ſubſtantia) has portentoſas opiniones ſtabiliunt, Quod vel diabolus ſit creator hominis: Vel peccatum ſit opus & Creatura Dei.

Locus. V.

DE LEGE DEI.

Quot ſunt partes Legis Moſaicæ traditæ à Deo?

Tres: Leges Morales, Ceremoniales, & Forenſes ſeu Iudiciales.

Quid eſt Lex Moralis?

Eſt æterna & immota ſapientia, & regula Iuſtitiæ in Deo, diſcernens recta & non recta, & horribiliter iraſcens contumacibus, ſeu denuncians horrendam iram adverſus contumaciam repugnantem huic ordini in Deo & patefacta eſt hominib. in creatione, & poſtea ſæpe repetita & declarata voce divina, ut ſciamus, quod ſit Deus & qualis ſit, obligans omnes creaturas rationales, & poſtulans, ut

omnes sint conformes Deo, & damnans & destruens omnes non conformes Deo, nisi fiat remissio & reconciliatio propter Filium Mediatorem.

Vbi comprehensa est summa Legis Moralis?

In Decalogo, cujus nomine sæpe utimur pro Lege Morali, ut quasi monstremus præcipua capita. [*Sunt q; Leges Morales, & quæ in Decalogo continentur, & Decalogi repetitiones atq; explicationes ubicunq; in scriptis Prophetic: & Apostolicis leguntur.*

Quid sunt Leges Ceremoniales?

Quæ externos gestus ordinant in sacrificiis, & loca tempora, & personas distinguunt, & alia quædam exercitia externa describunt, ut non tantùm sint signa & distinctiones politiæ Mosaicæ ab aliis gentibus, sed etiam typi, adumbrantes verum Messiam, ejusque beneficia & cultus novi Testamenti. Hæ magna ex parte in Levitico Mosis recitantur.

Quid

Quid sunt Leges Forenses seu judiciales?

Sunt Leges de externa defensione disciplinæ, juxta totum Decalogum, de Magistratibus, de pœnis blasphemiæ & perjurii, seditionis, homicidii, adulterii, de distinctione facultatum vel dominiorum, de hæreditatum distributione, de pœnis furtorum, de ordine judiciorum, &c. ideò traditæ, ut sint nervi politiæ Mosaicæ, ejusq; disciplinam honestam regant ac conservent. Hæc passim in Exodo & Deuteronomio Mosis recensentur & describuntur.

Num hæ tres partes Legis Mosaicæ pariter & eodem modo obligant omnes homines?

Nequaquam. Leges Ceremoniales & Forenses ad solos Iudæos pertinent, qui durante politia Mosi, ad harum Legum obedientiam obligati erant. Non a. hæ Leges mandatæ sunt

cæteris gentibus, nec easdem obligant ad obedientiam. Verum Lex Moralis, cum sit in Deo sapientia & norma justitiæ æterna, & patefacta sit hominibus, ut homo sit conformis DEO, omnes homines Iudæos & Gentes, ad obedientiam obligat: cum semper maneat ordo divinus, ut homo iterum fiat conformis DEO, sicut Roman. 3. v. 31. dicitur: *Per fidem stabilimus legem.* Item Romanor. 8. v. 14. *Vt jus Legis in nobis impleatur.*

Quare leges Ceremoniales & forenses non obligant alias Gentes, nec Iudæos ipsos, post destructam politiam Mosis?

Quia tantùm promulgatæ sunt, ut durarent ad certum tempus, donec mansura erat politia Mosaica, quæ constituta est hoc consilio, ut esset certus loco, & certa stirps, in qua nasceretur, doceret, ederet testimonia,

offerret

offerret sacrificium & resuscitaretur Messias. Et hanc gentem voluit Deus conspici & segregari ab aliis gentibus. Ideo attribuit ei certos ritus. Simul autem cum destructa politia Mosaica extinctæ sunt leges ceremoniales & iudiciales, quia hæ reipsa nervi huius politiæ, seu potius ipsa politia fuerunt.

Suntné Christiani seu homines renati liberi à lege Morali?

Sunt liberi a lege Morali, quò ad condemnationem seu maledictionem Legis, quam ab ipsis sustulit Filius Dei, factus maledictum in cruce, ut Ioh. *8. v. 36.* dicitur. *Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis.* Non autem liberi sunt ab obedientia Legis Moralis, ad quam perpetuo sunt & manent obligati, iuxta severissimum mandatum, Ezech. *20.* v. *19.* *In præceptis meis ambulate & facite ea.*

Qualem obedientiam requirit Lex Moralis ab omnibus hominibus ?

Non tantùm externam disciplinam aut qualemcunque obedientiam externorum membrorum, & Philosophicam moderationem affectuum & cupiditatum: sed integram & perfectam obedientiam, interiorem & exteriorem, congruentem cum æterna & immota sapientia & justitia in DEO, seu integram conformitatem omnium virium naturæ humanæ cum DEO, sine omni vitio & labe peccati, qualis in prima creatione hominibus ad imaginem & similitudinem Dei conditis attributa fuit, juxta præceptum Deuteron. 6. v. 18. Levit, 19. Matth. 21. 37. *Diliges Dominum DEVM tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, & proximum tuum sicut teipsum.*

Possuntne homines hanc Perfectam obedientiam præstare, & Legi Dei satisfacere?

Post

Post lapsum primorum parentum nullus homo, excepto Domino nostro Iesv Christo, Deo & Homine, hanc perfectam obedientiam propriis viribus præstare, & Legi satisfacere potest, propter peccatum originis, quo tota natura humana horribiliter corrupta & depravata est, ut planè repugnet Legi, & sit inimica Deo juxta dictum, Roma. 8. v. 7. *Sensus carnis est inimicitia adversus Deum. Nam Legi Dei non subjicitur, at ne quidem subjici potest.*

An non renati perfectè obedire Legi eiq; satisfacere possunt?

Etiamsi homines renati à Spiritu sancto adjuvantur et reguntur: tamen reliquiis peccati, quas in hac vita circumferunt, impediuntur, quo minus perfectè obedire legi, eiq; satisfacere possint. Ut Paulus Apostolus de seipso dolenter admodum conqueritur, Rom 7. v. 14.

Lex spiritualis est, Ego autem carnalis sum venundatus sub peccatum; Non enim bonum, quod volo, hoc facio, sed malum, quod odi, hoc facio.

Potestnè Lex iustificare hominem, & dare vitam æternam?

Nequaquam. Quia nemo hominum perfectè satisfacit Legi. [*Et quod ad justificationem attinet, eodem modo de omnibus partibus Legis Mosi sentiendum est, videlicet, quod non mereantur remissionem peccatorum, & quòd persona non sit justa, id est accepta Deo ad vitam æternam, propter opera legis Moralis, & alia. Item, quòd hæc nostra obedientia, quamutcunque præstat homo in hac vita, non sit justitia æterna seu integra Legis impletio. Ideo Paulus de omnibus partibus Legis Mosi inquit, Rom. 3. v. 20.* Ex operibus Legis non iustificabitur omnis caro coram Deo.

Cum igitur Lex Moralis neminem justificare possit, quis est eius usus?

Prater-

Præterquam quod Lex moralis de dignitate iusticiæ originalis, & de præsenti miseria naturæ nostræ admonet, tres sunt eius usus, qui diligenter considerandi & perpetuo in Ecclesia retinendi sunt.

Quis est primus usus Legis Moralis

Primus usus est Pædagogicus seu Politicus, ad omnes homines pertinens, etiam non renatos & Ethnicos, quod videlicet obligat omnes homines, ut regant externa membra seu locomotivam, ut externa facta congruant cum Lege Morali, & sancit pœnas, etiam corporales in hac vita, adversus eos, qui admittunt externa delicta, quas Deus, vel per Magistratus, vel aliis modis sumit de sontibus. De hoc usu dicitur 1. Tim. 1. v. 9. *Lex est posita iniustis, id est* premens eos, cohercens vel puniens ac destruens contumaces.

Quis est secundus usus Legis Moralis?

Secundus usus est spiritualis, videlicet judicium universale, accusans omnia peccata in hominibus, interiora, & exteriora, & totam depravationem, & denuncians horrendam iram Dei & pœnas præsentes ac æternas, omnibus non conversis ad Deum, juxta dicta: *Deus est ignis consumens, Deut. 4. v. 24. Item: Ut totus mundus reus sit Deo, Rom. 3. v. 19. Item, Per Legem agnitio peccati, ibidem v. 20. Et: Aculeus mortis, peccatum est, Potentia peccati Lex est, 1. Corinth. 15. v. 56.*

Quis est tertius usus Legis Moralis?

Tertius usus Legis est didacticus, pertinens ad renatos, quia docet, qui cultus Deo placeant. Et est norma bonorum operum, quæ à renatis necessario præstari debent. (*Nam etsi ratio humana scit aliquo modo discrimen honestorum*

ſtorum & turpium; tamen neceſſe eſt habere teſtimonium Dei expreſſum, quæ opera ipſi placeant, juxta dictum, Ezech. 20. v. 19. In præceptis meis ambulate. Item: Pſal. *119. v. 105.* Lucerna pedibus meis Verbum tuum, & lumen ſemitis meis.

Eſtné Lex Moralis docenda in Eccleſia?

Omninò. Cum enim Deus per Legem accuſet peccata, & pœnitentiam in cordibus operetur, neceſſe eſt ſemper in Eccleſia exaudiri vocem Legis, ut homines excitentur ad pœnitentiam, & converſi habeant regulam ac normam certam, juxta quam mores & actiones vitæ univerſæ inſtituant. Ideo inquit Chriſtus Matt. 5. v. 17. *Non veni ſolvere Legem, ſed implere.* Et Deus ſeveriſſime præcipit Eſaiæ *58. v. 1. Clama, ne ceſſes, Exalta vocem tuam ut tubam, & indica populo meo peccata ſua.*

Qui-

Qui errores de Lege Dei damnandi & fugiendi sunt?

1. Primum Pharisæorum & Hypocritarum omnium in populo Dei, qui philosophico & politico more senserunt, Legem Dei tantùm flagitare externam obedientiam, & prohibere externa delicta, quæ violant honestam disciplinam.

2. Deinde Pelagianorum & Monachorum in regno Pontificio, qui finxerunt homines viribus naturalibus posse implere Legem, & sua impletione justos esse coram Deo, seu mereri gratiam Dei, remissionem peccatorum, justitiam, & vitam æternam.

3. Tertio, Antinomorum, qui insigni furore adhuc hodie contendunt, Legem moralem in Ecclesia non esse docendam & pœnitentiam non ex Lege, sed ex solo Evangelio prædicandam esse.

Quarto, Enthusiastarum & simi-

lium

lium Fanaticorum, qui abolitas leges Ceremoniales & Forenses Mosi, in usum revocare, easq; Ecclesiæ & politiis honestis obtrudere conantur.

Locus VI.
DE PECCATO.

Quid est Peccatum?

DEfinitio brevis extat in Epistola Iohannis: Peccatum est, quicquid est contra Legem Dei: ἁμαρτία ἐστιν ἀνομία, 1. Ioh. 3. v. 4. Hujus definitionis explicatio hæc est: *Peccatum est defectus, vel inclinatio, vel actio contra Legem Dei, offendens Deum & commerens iram æternam, nisi fiat remissio propter Filium Mediatorem.*

Quæ est causa peccati?

Toto pectore amplectenda est hæc sententia: Deum non esse causam peccati, nec velle, nec ordinare peccatum, nec impellere voluntates ad

pec-

peccati, nec velle, nec ordinare peccatum, nec impellere voluntates ad peccandum, nec approbare peccatum ſed vere & horribiliter iraſci peccato, & ſeveriſſime punire peccatum præſentib. & æternis pœnis, ut Pſal. 5. v. 5. dicitur: Non DEUS volens iniquitatem tu es, Odiſti omnes operantes iniquitatem, & perdis omnes qui loquuntur mendacium. Eſt autem primi peccati cauſa, libera voluntas Diaboli & primorum Parentum, qui liberè & ſua ſponte averterunt ſe à Deo nec volente nec approbante illam averſionem, & vagantes extra ordinem, hæſerunt in objectis contra mandatum DEI, juxta dictum Ioh. 8. v. 44. Diabolus homicida eſt ab initio, & pater mendacii. Rom 5. v. 12. Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors in homines penetravit,

Quotuplex eſt Peccatum?

Prima

Prima divisione peccatum aliud nominatur Originale, aliud Actuale.

Quid est Peccatum originale?

Peccatum Originale est reatus propter Adę lapsum, & propter privationem lucis divinæ & firmæ agnitionis Dei in mentibus hominum, & propter aversionem voluntatis à Deo, & propter contumaciam cordis, quæ mala secuta sunt lapsum Adæ in natura hominum, & sunt inimicitiæ adversus Deum, & damnata à Deo.

Quæ potissimùm in peccato Originali comprehenduntur?

Hæc quatuor. 1. Primum reatus propter Adæ lapsum, quod videlicet omnes homines propter inobedientiam primorum parentum rei sunt coram Deo, & Filii iræ, ut Ephes. 2. v. 3. dicitur.

2. Deinde, defectus justitiæ originalis, seu privatio imaginis Dei, ad quam Homo initio conditus fuit.

3. Tertio, concupiscentia seu ἀπάθεια omnium virium hominis, & habitus vitiosi, quales sunt ignoratio & contemtus Dei, carnalis securitas, diffidentia, fremitus adversus Deum, & similia vitia, quæ nobiscum nascuntur.

4. Quartò, reatus peculiaris, quod homines propter inhærentes defectus, & propter concupiscentiam seu habitus vitiosos, rei sunt mortis & pœnarum æternarum, nisi reconcilientur Deo per & propter Filium Mediatorem.

Estné peccatum originale ipsa hominis substantia, aut accidens in substantia hominis hærens?

Nequaquam est ipsa hominis substantia, sed accidens vitiosum, quod in hominis substantia hæret. [*Sub-*

stantia

ſtantia enim hominis, quatenus à Deo creata, etiam poſt lapſum, res bona eſt. Peccatum verò atrox malum eſt, profectum à Diabolo. Ac ut opus Dei ab opere Diaboli neceſſariò diſcernendum eſt. ita inter ſubſtantiam hominis conditam à Deo & inter peccatum, quod aliunde acceßit, neceſſarium diſcrimen conſtituendum, & retinendum eſt, ſicut Paulus de ſeipſo, & de peccato diſtinctè loquitur, Rom. 7. v. 20. Ego non operor malum, ſed peccatum quod IN ME habitat. Item, v. 21. Malum mihi adjacet.

Quale accidens eſt peccatum originale?

Accidens horribile, quod totam hominis ſubſtantiam & omnes ejus partes ac vires penitùs corrupit, ut nihil boni, nihilq; ſinceri in ipſis reliquum ſit. [*Et quanquam in hac vita ſubſtantia hominis reipſa ſeparari & radicitùs evelli non poteſt; tamen cogitatione ſeparari poteſt, quæ ſubſtantiam & accidens diſcernit, & in reſurrectione mortuorum*

orum etiam reipsa à substantia electorum separabitur, ac prorsus abolebitur, Cum Deus erit omnia in omnibus electis, 1. Cor 15. v. 28.

Manetné Peccatum originale post baptismum, an verò in baptismo remittitur & tollitur?

Manet peccatum originale post baptismum, quo ad materiale, quòd usitatè nominatur concupiscentia. Remittitur autem & tollitur in baptismo, quoad formale, quod nominatur reatus [*Manet enim in baptizatis ipse morbus seu prava inclinatio contra Legem Dei, sed reatus tollitur, cùm persona baptizata recipitur à Deo, & peccatum non imputatur. Ideo inquit Augustinus:* (Lib. 1. de nuptiis & concupisc. cap. 25. Item in libro de baptismo parvulorũ) *Concupiscentia in baptismo remittitur, non ut non sit, sed ut non imputetur. Et quidem de materiali quoque verum est, quòd Spiritus Sanctus datus per Baptismum*

smum incipit mortificare concupiscentiam & novos motus creat in homine, ut 2. Cor. 3. v. 18. dicitur: Transformamur à gloria in gloriam, tanquam à Spiritu Domini.]

Quid est peccatum Actuale?

Est omnis actio pugnans cum Lege, tùm in mente ut dubitationes de Deo, tùm in voluntate & corde, ut incendia malorum affectuum, tum in membris externis, ut externæ actiones pugnantes cum Lege Dei.

Habentné tantum adulti peccata actualia?

Non tantum adulti, sed etiam infantes habent peccata actualia, cũ vitio originis conjuncta, quod ut nunquam est otiosum, ita subinde etiam in infantibus gignit actiones vitiosas, cum internas, tùm externas, pugnantes cum Lege Dei [*Hæ ipsæ actiones in infantibus revera sunt peccata actualia, adque ratio & voluntas suo quo-*

d

dam modo concurrunt. Et quanqnam hæc peccata actualia in infantibus non sunt προαιρετικὰ, ut in adultis, qui integrum usum rationis & voluntatis habent, tamen φυσικὰ nominari possunt, cum à natura corrupta oriantur, & ut effectus vitiosi à peccato originali, tanquam à causa mala proficiscantur. Ideo vox divina disertè inquit: Omne figmentum cogitationum cordis humani tantum est malum omni tempore ab adolescentia, Gen. 6. v. 5. & 8. v. 21.

Recita aliam divisionem peccati?

Secunda divisione, Peccatum aliud est Regnans seu mortale. Aliud est non Regnans, quod usitatè nominatur Veniale.

Quid est peccatum Regnans seu mortale?

Peccatum Regnans seu mortale dicitur omne peccatum in non renatis

tis, Originale, & actualia, interiora & exteriora, quæ ideo dicuntur mortalia, quia non renatus propter illa omnia reus est iræ Dei, & pœnæ æternæ, id est, ordinatus ad pœnam æternam, sicut Ioh. 3. v. 36. dicitur. *Qui non credit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.*

Potestne peccatum Regnans seu mortale cadere etiam in renatum?

Maximè. Nam id quoque peccatum regnans seu mortale est, cum is, qui fuerat renatus, assentitur errori in fundamento, aut labitur contra conscientiam. Tunc enim amittit gratiam, Spiritum sanctum, & fidem. [*Sicut Adam & Eva. Gen 3. v. 6. Aaron assentiens facientibus idolum*, Exo. 32. v. 4. *David rapiens alterius conjugem*, 2. Sam. 11. v. 4. *contristant & excutiunt Spiritum sanctum propter talia delicta, & rursus fiunt rei æternæ pœnæ, ut Paulus Rom. 8.*

v.13. testatur: Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Et Iohannes inquit: Qui facit peccatum, ex Diabolo est, 1. Epist. 3. v. 8.

Quid est Peccatum non Regnans seu Veniale?

Peccatum non regnans, quod nominatur Veniale, id est propter quod non admittuntur gratia, Spiritus sanctus & fides, est in renatis in hac vita malum originis, & dubitationes & incendia malorum affectuum, quibus tamen repugnant renati, ne ruant contra conscientiam & dolent propter has sordes, & credunt, se propter Mediatorem Deo placere, tegi has sordes, & gratiam exuberare supra peccatum, Rom. 5. v. 19.

Recita aliam divisionem Peccati?

Tertia divisione, Peccatum aliud est contra conscientiam, aliud in Spiritum sanctum, quod usitatè nominatur blasphemia.

Quid

Quid est peccatum contra Conscientiam?

Est violatio cujuscunq; Mandati divini, quæ fit à sciente & volente. Estque genus respectu blasphemiæ, ut David habuit magna & tristia delicta contra conscientiam, & tamen non fuit Blasphemus.

Quid est blasphemia seu peccatum in Spiritum Sanctum?

Est contra conscientiam oppugnare agnitam veritatem à Deo patefactam, vel perseverantia in Epicuræo contemtu Dei usque ad finem vitæ, vel desperatio finalis, in qua antefertur peccatum meritis Filii Dei, contradictum Rom. 5. v. 20. *Exuberat gratia supra delictum*, sicut Cain inquit Gen. 4. v. 13. *Majus est peccatum meum, quam ut remitti possit.* Non igitur fuit blasphemia in illis, qui redeunt ad pœnitentiam, ut in Aarone, Manasse, Petro, Paulo, &c.

Quomodo judicandum est de peccato blasphemiæ seu in Spiritum sanctum?

A posteriori turissimè judicatur. Hoc enim irremissibile peccatum (ut Matt. 12. v. 32. nominatur) tribuendũ est iis, qui in finali impœnitentia ex hac vita discedunt, & ante mortem corporis non cõuertuntur ad Deum, ut Cain, Saul, Iuda, & similes, qui de gratia Dei desperant. Non autem tribuendum est iis, qui etsi atrociter peccarunt: tamen ante mortem redeunt ad pœnitentiam, & vere convertuntur ad Deum. [*Nam de his regulam tenere debemus: Omne peccatum remitti agenti pœnitentiam, & fide amplectenti promissionem gratiæ promissæ propter Filium Dei, juxta juramentum Ezech. 33. v. 11. Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat, Item: Venite ad me omnes, qui labora-*

boratis & onerati estis, ego reficiam vos, Matth. 11. vers. 28.

Qui errores de peccato damnandi & fugiendi sunt?

1. Primum Pelagianorum veterum & recentium, quales sunt Monachi & scholastici Doctores in regno Pontificio, qui contendunt vitium originis, & concupiscentiam, non esse sua natura peccatum, damnans & afferens mortem æternam, sed fomitem peccati vel maculam quandam aspersam naturæ, sine ejusdem corruptione, vel servitutem seu conditionem mortalitatis ex aliena culpa, sine proprio vitio contractam. Ac ut extenuent gloriam meriti & beneficiorum Christi, disputant, Hominem propriis viribus rationis coram Deo justificari posse,

2. Deinde Manichæorum veterum & recentium, quales hodie sunt Flaciani, qui fingunt peccatum originis

esse quiddam essentiale ac substantiale, à Satana in naturâ hominis transfusum, & cum eadem permixtum. Et quidem furenter clamitant, ipsam hominis corrupti substantiam seu naturam, esse peccatum originis, & nullum prorsus discrimen inter hominis substantiam, & inter peccatum originis, hoc est, inter opus Dei, & opus Diaboli constituendum esse.

3. Tertio Stoicorum, qui stolidè Philosophantur, omnia peccata esse paria, & fatali quadam necessitate fieri, sine libera electione voluntatis, ideoq; cum Calvinistis nostræ ætatis Deum ipsum peccati causam faciunt, siquidem Deus peccatum non impediat, sed occulto judicio velit & ordinet, ut misericordiæ in condonando peccato locus esse possit.

4. Quartò Antinomorum & Sacramentariorum recentium, Calvinistarum inprimis, qui horribili furore

rore fingunt renatos non posse labi in peccata mortalia, & si labuntur, nihilominus retinere gratiam Dei, Spiritum sanctum & fidem, [*contra manifesta scripturæ dicta, 1. Cor. 6. v. 9. Ne erretis: Scortatores, adulteri, idolatræ, &c. regnum Dei non possidebunt, Galat. 5. v. 19. Manifesta sunt opera carnis, qui talia faciunt, regnum Dei non possidebunt.*]

5. Quintò Discrimen inter peccatum mortale & veniale prorsus evertunt, & tollunt Calviniſtæ: & peccatum originis eo ipso extenuant quòd fidelium infantes antè Baptismum sanctos, & Dei filios esse contendunt.

Locus VII.

DE LIBERO ARBITRIO.

Quid est liberum arbitrium?

EST facultas voluntatis humanæ, qua vel eligit & expetit, vel aversatur & rejicit ea, quæ a mente seu

intellectu monstrata sunt. [*Complectitur igitur Liberum arbitrium in sermone communi, utramq; potentiam animæ rationalis, intellectum & voluntatem, pro quibus in sermone Prophetarum & Apostolorum appellationes mentis & cordis usitatæ sunt.*

Quæ sunt objecta Liberi arbitrii?

Res & actiones, quæ sunt duplices: Aliæ sunt externæ & civiles, pertinentes ad hanc vitam præsentem: Aliæ sunt internæ, & spirituales concernentes gloriam Dei, & nostram conversionem ac salutem æternam.

Habetné homo post lapsum Liberum arbitrium in rebus externis & actionibus civilibus?

Omnes homines, etiam non renati habent post lapsum reliquam hanc libertatem, id est, facultatem, ut aliquo modo possint regere Locomotivam, & facere externa opera congruentia cum Lege Dei.

Quo-

Quomodo probas Liberum arbitrium hominis in rebus externis & actionibus civilibus?

Cum reliqua sit in natura hominis Ratio, & judicium de rebus sensui objectis, reliquus est etiam delectus earum rerum, & libertas atque facultas efficiendæ justitiæ civilis [*Ideo Paulus Philip. 3. v. 3. Ebræ. 9. v. 10. nominat justitiam quandam carnis, quam natura carnalis, seu homo non renatus, per se, sine Spiritu sancto facit, quæ est externa honesta disciplina seu gubernatio externorum operum juxta Legem Dei.*]

Estné liberum arbitrium hominis in rebus externis & actionibus civilibus perfectum?

Nequaquam. Valde enim impeditur duabus potissimum causis, videlicet ab infirmitate, quæ nobiscum nascitur, & à Diabolo, hoste generis humani. [*Tanta est vis concupiscentiæ, ut malis affectibus sæpius ob-*

temperent homines, quam recto judicio mentis, & diabolus, qui est efficax in impiis ut Paulus Epes 2. v. 2. ait: non desinit incitare hanc imbecillem naturam ad varia delicta, quibus honesta disciplina violatur, & pœnæ privatæ ac publicæ cumulantur.]

Habetne homo post lapsum liberum arbitrium in rebus & actionibus internis ac spiritualibus?

Minimè. Adeo enim natura hominis peccato originis corrupta est, ut homo ex viribus naturalibus, neque deponere pravitatem nobiscum nascentem, neque tollere mortem, neque promissionibus Evangelii assentiri, neque ad gratiam in Evangelio oblatam se applicare, neq; ad conversionem suam aliquid operari & conferre, neq; obedientiam interiorem, præceptam in Lege Dei, videlicet, verum timorem Dei, veram fidem, invocationem & dilectionem Dei,

incho-

inchoare, nedum perficere possit. (*Vere igitur in actionibus internis & rebus spiritualibus liberum arbitrium inane nomen est, & potius servum atq; captivum peccato, quam liberum nominari debet.*]

Quomodo Probas hanc asseverationem?

Testimonia manifesta sunt de cæcitate mentis & ἀδυναμίᾳ voluntatis humanæ.

Genes. 6. v. 5. & 8. v. 12. Omne figmentum cordis humani tantummodo malum est omni tempore, & ab adolescentia.

Psal. 14. v. 3. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui facit bonum, ac ne unus quidem.

Iohan. 1. v. 5. Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non apprehenderunt.

Ioh. 3. v. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in Regnum Dei.

Rom. 8. v. 7. Sensus carnis est inimicitia

adversus Deum, Non enim Legi Dei subditur, ac ne potest quidem.

1. Corint. 2. v. 14. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, Stultitia enim sunt ei, & non potest intelligere.

2. Cor. 3. v. 5. Non sumus idonei cogitare aliquid à nobis, tanquam ex nobis.

Vnde est igitur conversio & regeneratio hominis?

Non à viribus naturalibus, reliquis post lapsum, sed à solo Deo, & à virtute Spiritus sancti, quem Pater & filius mittunt, ut accendat nostra corda. Ideo Paulus inquit, 2. Cor. 3. v. 5. Sufficientia nostra ex Deo est. Et alibi, Philip. 2. v. 13. Deus est, qui efficit in vobis velle & perficere, ut ipsi aliqua grata fiant. Johan. 15. v. 5. Filius Dei inquit: Sine me nihil potestis facere. Et de Spiritu sancto rectè canit Ecclesia. † Sine tuo Numine, nihil est in homine, nihil est in-

noxium.†(*in Hymno festi Pentecostes: Veni sancte Spiritus, & emitte &c.*)

Quomodo fit conversio & regeneratio hominis?

Cùm verissima sit vox juramenti divini: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat: Naturales autem vires hominis ad conversionem nihil conferre, nihilque operari possint, Deus ex immensa bonitate & misericordia nos prævenit suo verbo, sonante in ministerio, & per hoc verbum auditum & cogitatum, efficax est Spiritus sanctus, illuminans mentem, & trahens voluntatem, ut homo efficacia Spiritus sancti, ex Lege peccata sua & iram D E I agnoscat, veramque contritionem in corde suo sentiat: Ex Evangelio autem veram fidem concipiat, qua gratiam remissionem peccatorum propter Filium Mediatorem apprehendit, & firma con-

solatione se sustentet, clamans Abba Pater. [*Hunc ordinem à Deo sancitum paulus monstrat, Rom. 1. v. 16. Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Et Rom. 10. v. 14. Quomodo credent in eum de quo non audiverunt? Quomodo audient absque prædicante? Fides ergo ex auditu est, auditus vero per verbum Dei.*]

Quot sunt causæ conversionis?

Duæ: Spiritus sanctus est caussa efficiens totalis seu τέλειον αἴτιον conversionis, accendens novam lucem in mente, & flectens voluntatem ad Deum, ut 2. Cor. 3. v. 18. dicitur, *Transformamur à Domini spiritu.*

Causa verò instrumentalis, sunt Verbum Dei & Sacramenta, per quæ, tanquam per media divinitùs ordinata, Spiritus sanctus conversionem hominis efficit, juxta dicta 2. Cor. 3. v. 8. *Evangelium est ministerium Spiritus.*

Tit.3.v.5.Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S.

Quid verò sunt Mens & voluntas hominis?

Non sunt causæ efficientes, quæ sua aliqua naturali virtute & efficacia ad conversionem concurrunt; sed sunt subjectum convertendum, quod in scholis materia in qua, vel circa quam nominari solet.

Suntné Mens & Voluntas hominis in conversione subiectum agens vel patiens?

Non agens, sed patiens subjectum. Nihil enim ex sua virtute agunt, neque agere possunt ad hominis conversionem: sed tantùm patiuntur, & passivè se habent ad actionem Spiritus sancti, qui solus conversionem hominis operatur & efficit.

Semperné Mens & voluntas hominis, etiam post conversionem, tantum sunt & manent subjectum patiens?

Nequa-

Nequaquam: Sed postquam Spiritus sanctus conversionem hominis, per verbum & Sacramenta operatus est, Mens & voluntas hominis, non est otiosa, velut truncus aut statua, sed revera aliquid agit, agnoscit misericordiam Dei in Filio promissam, applicat se ad gratiam in Evangelio oblatam, repugnat diffidentiæ, & in omnibus operibus bonis, quæ conversionem sequuntur, Spiritui sancto cooperatur, ac tam diu bene operatur, quam diu à Spiritu sancto regitur & impellitur, ut Rom. 8. v. 17. dicitur: Qui ducuntur Spiritu Dei, hi sunt Filii Dei, & in spiritu adoptionis clamant: Abba Pater.

Vnde sunt novæ illæ actiones Mentis & voluntatis renatæ?

Non à viribus naturalibus, sed à virtute & efficacia Spiritus sancti, qui in lucta carnis & Spiritus sustentat & adjuvat mentem & voluntatem, &

langui-

languida initia motuum spiritualium, omniumque actionum salutarium, sua gratia promovet atq; confirmat, ut Rom. 8. v. 26. dicitur: Spiritus opitulatur infirmitatibus nostris donec novitas inchoata, in vita æterna perficiatur, cùm integra ac perfecta fiet naturæ nostræ reparatio.

Qui errores de Libero arbitrio damnandi & fugiendi sunt?

Primùm Pelagianorum, qui ut Monachi in regno Pontificio, homini non renato liberum arbitrium tribuerunt in rebus spiritualibus, quod naturalibus viribus, sine Spiritu sancto, sese ad Deum convertere, Evangelio credere, Legem perfecte implere, & hac impletione gratiam Dei remissionem peccatorum, & vitam æternam mereri possit.

Deinde Scholasticorum & Iesuitarum, qui docent, hominem naturalibus suis viribus inchoare conversionem

sionem, quam postea adjuvet ac perficiat Spiritus sanctus.

Tertiò Synergistarum, qui rectè quidem docent, conversionis initium esse à Spiritu sancto, sed posteà falsò imaginantur, Mentem & voluntatem naturalibus suis viribus aliquid agere & conferre ad hominis conversionem, & Spiritui sancto cùm in conversione, tùm in operibus bonis eam sequentibus, propria virtute cooperari.

Quarto Manichæorum, qui scelerate finxerunt, alios homines ortos esse à bono Deo, qui necessariò benefaciant: alios à malo Deo, qui non possint converti ad Deum. Similis est Calvinistarum opinio, quæ infra in Loco de Prædestinatione inter Antitheses recitabitur.

Quinto Flacianorum, qui furenter hodie contendunt, hominem in conversione similem esse lapidi,

aut

aut trunco, & Deum in conversione eor novum & hominem novum ita creare, ut veteris Adami essentia, præsertim verò animæ rationalis, prorsus aboleatur, & novæ animæ Essentia ex nihilo creetur.

Denique Enthusiastarum, quales sunt Anabaptistæ & Stenckfeldiani, qui sentiunt Deum sine omnibus mediis, sine verbo & Sacramentis, conversionem hominis operari, & expectandos esse raptus violentos, qui hominem etiam repugnantem convertant.

Locus VIII.
DE EVANGELIO.

Quot modis vox Evangelij usurpatur in sermone Apostolico?

DUobus modis: Alias Generaliter Alias Specialiter.

Quomodo generaliter usurpatur?

De tota doctrina, quam Christus in ministerio novi Testamẽti proposuit

et Apostolis proponendam commendavit. [*Hujus doctrinæ cum duæ sint partes, Lex Moralis, & promissio gratiæ, utramque generalis appellatio Evangelij complectitur, juxta dictum Christi Marc. 16. v. 16. Ite in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Et *Paulus de tota ministerii sui doctrina loquens nominat se ministrum Iesu Christi in gentes, administrantem Evangelum Dei Rom. 15. v. 16.*

Quomodo specialiter usurpatur?

De promissione gratiæ, offerente gratuitam remissionem peccatorum propter Christum Mediatorem, & erigente corda perterrefacta voce Legis, ne ruant in desperationem & mortem æternam. De hac speciali & propriissima significatione intelligenda sunt verba Christi, Matthæi *11.* v. *5.* Pauperibus Evangelium annunciatur. Et Marc. *1.* v. *1.* *Agite pœnitentiam, & credite Evangelio.*

Quid

Quid est Evangelium generaliter usurpatum?

Est prædicatio pœnitentiæ & promissio, quam ratio non novit naturaliter, sed revelata divinitus, in qua Deus affirmat, se gratis, non propter ulla nostra merita, aut dignitatem nostram: sed propter obedientiam Filii, certo remittere peccata, & donare imputationem justitiæ, Spiritumsanctum, & vitam æternam, modo ut credamus & confidamus, hæc summa beneficia nobis propter Filium Mediatorem gratis contingere,

Quid est Evangelium specialiter usurpatum?

Est promissio de gratuita remissione peccatorum, & de reconciliatione, & de hæreditate vitæ æternæ, donandæ per fidem in Filium Dei Mediatorem, consulans & erigens corda, ut paulatim vincant pavores incussos à Lege, & novam vitam ac

lætitiam in Deo acquiescentem concipiant.

Breviter: Evangelium propriè est promissio remissionis peccatorum, & justificationis propter Christum, ut definit Apolog. Confess. Augustanæ, pag. 62.

Fitne prædicatio pœnitentiæ per Legem, an per Evangelium?

Cùm pœnitentia non de sola contritione, sed de tota hominis conversione ad Deum usurpatur, facile intelligitur, ejus prædicationem, neque per Legem solam, neque per Evangelium solum fieri posse. Concurrunt igitur in prædicatione pœnitentiæ Lex & Evangelium, suis distinctis officiis. [*Id quod partes pœnitentiæ seu conversionis, de quibus infra suo loco dicetur, evidenter confirmant. Contritio enim ex Lege est, quæ tristes pavores ac dolores in cordibus, agnitione peccati & sensu iræ Dei perterrefactis efficit:*

Fides

Fides verò est ex Evangelio, quod corda perterrefacta firma consolatione sustentat & erigit. Novam obedientiam gubernat Lex, quæ est norma bonorum operum. Evangelium verò docet, quomodo ea fieri possit quomodo placeat Deo, & quæ habeat præmia, cum sit imperfecta.

Quare opus est Evangelij promissione?

Ut conscientiæ adversus Legem accusantem & damnantem propter peccata, firmam habeant consolationem, & muniantur adversus disputationes de propria indignitate, cum audiant, gratis ex immensa misericordia Dei remitti peccata, & donari justitiam & vitam æternam propter Filium Mediatorem, etiam indignis, qui procul absunt ab ea perfectione, quam Lex requirit. Ideo ex fide gratis, inquit Paulus Roman. *4.* v. *16.* ut firma sit promissio.

Qualis est promissio Evangelij propria?

Prorsus dissimilis legalibus promissionibus. Hæ enim sua natura sunt conditionales & semper habent annexam conditionem impletæ Legis. Promissio vero Evangelii non est conditionalis, sed gratuita & sine omni exceptione universalis, [*Gratis enim docet remitti peccata propter obedientiam Filii Dei, & credentes in Filium Dei pronunciat justos, etiamsi Legi non satisfaciant. Deinde omnibus agentibus pœnitentiam, & credentibus in Filium Dei Mediatorem, promittit & offert remissionem peccatorum, & reconciliationem, juxta dicta, Ezech. 33. v. 11. Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Iohan. 3. v. 16. Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*]

Quo-

Quomodo apprehenditur & applicatur promissio Evangelij?

Fide tantum, qua quisq; in veris doloribus & pavoribus conscientiæ pro se statuit, sibi gratis remitti peccata, & donari justitiam ac vitam æternam, propter Filium Mediatorem. [*Ideo Paulus Rom. 4. correlativè copulat promissionem & fidem. Estq; hæc Fides non conditio annexa promissioni, ut meritum, sed instrumentum. quo fit apprehensio & applicatio promissionis, ut credenti donentur beneficia filii Dei Mediatoris.*]

Quis est autor promissionis Evangelicæ?

Ipse Filius Dei, qui promissionem, Evãgelii de gratuita reconciliatione ex arcano consilio Divinitatis protulit. & primis parentibus patefecit in Paradiso, edens hanc dulcissimam concionem. Gene. *3. v. 15. Semen mulieris conteret caput serpentis.* Eadem promissio postea repetita & declarata

fuit sanctis patribus. Prophetæ verò in suis scriptis eã illustrárunt, & propagarunt, donec Filius Dei mitteretur in carnem, ne Ecclesiæ omnium temporum firma consolatio deesset.

Fuitné unum & idem Evangelium inde usq; ab initio?

Omninó. Unum & idem Evangeliũ est, quo omnes sancti ab initio Mundi salvati sunt, Adam, Noë, Abraham Iacob, Prophetæ, Apostoli, ut de Abrahamo Filius Dei testatur, Ioh. 8. v. 56. *Vidit diem meum, & lætatus est.* Et Ebr. 13. v. 8. dicitur · IESVS CHRISTVS *heri & hodie, & ipse etiam in æternum.*

Qui sunt effectus Evangelij?

Agnitio misericordiæ Dei promissæ in Filio, remissio peccatorum gratuita accepta fide, imputatio justitiæ, donatio Spiritus sancti, consolatio efficax pavidarum mentium, liberatio ex doloribus inferorum, pax conscientiæ, lætitia acquiescens in Deo,

vita

vita & salus æterna, juxta dicta: Evangelium est ministerium Spiritus vivificantis, 2. Corinth. 3. v. 8. Et Evangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti, Roman. 1, v. 16.

Semperne in Ecclesia simul docenda sunt Lex & Evangelium?

Maximè, sed debito ordine, & servata singularum partium distinctione. Prudenter enim ὀρθοτομεῖν oportet Legem & Promissiones, ut Apologia Augusta. Confes. (*Respons. ad argumenta aduers. Pag. 92.*) loquitur, & diligenter videndum, quid Legi, quid Evangelio secundum Scripturam conveniat, ne fiat confusio, quam totius doctrinæ divinitus patefactæ obscuratio sequitur, ut in regno Pontificio accidisse meminimus.

Arguitne Spiritus sanctus Mundum de peccato incredulitatis per Legem an per Evangelium?

Quicquid peccatum arguit, id Legis habet rationem, & ad Legem Pertinet, cujus proprium officium est, peccata arguere, & ad agnitionem peccatorum adducere: & quia incredulitas radix & fons est omnium peccatorum, quæ arguenda & reprehendenda sunt, Lex Dei etiam incredulitatem arguit. Neq; tamen interim negamus Legis Doctrinã per Evangelium illustrari & declarari. Nihilominꝰ verò proprium Legis officium est, manetq;, peccata arguere, & de bonis operibus docere. Hac ratione Lex incredulitatem arguit, quando videlicet verbo Dei fides non adhibetur.

Qui errores de Evangelio damnandi & fugiendi sunt?

Primum eorum, qui imprudenter & falsò asserunt, Evangelium specialiter & propriè usurpatum, quatenus à Lege discernitur, esse prædicationem pœnitentiæ arguentem peccata. Deinde

Deinde Antinomorum, qui explosa prædicatione Legis, pœnitentiam seu conversionem hominis ab Evangelio inchoant, eamq; sine Lege per solum Evangelium prædicandam esse sentiunt.

Tertio, Scholasticorum, & aliorum Doctorum in regno Pontificio, qui triplicem legem fingunt, & sanctos Patres lege naturæ salvatos esse, Iudæos Lege Mosi, nos verò nostra quadam Lege, quam Evangelicam nominant, salvari contendunt.

Quartò, Calvinistarum, qui universales promissiones Evangelii restringunt, & ad solos electos accommodant.

Locus. IX.

DE JUSTIFICATIONE.

Quotuplex est Iustitia, de qua scriptura sacra loquitur?

DUplex: Justitia Legis, & Justitia Evangelii, quam Paulus etiam

Fidei justitiam nominat. Rom. 4. v. 11. Phil. 3. v. 1,

Quid est Justitia Legis?

Est obedientia erga Legem Dei, quam Moses Paulo teste, Rom. 10. v. 5 ita describit, quod qui præcepta in Lege fecerit, per eadem victurus sit, Levit. 18. v. 5. & 20, v. 4.

Quot sunt gradus Justitiæ Legis?

Tres. Justitia perfecta, Justitia carnis & Justitia bonæ conscientiæ.

Quid est Justitia Legis perfecta?

Est integra conformitas cum Lege Dei, expers omnis peccati, quam nemo hominum in hac vita, propter naturæ totius corruptionem, acquirere & habere potest. Sed in vita æterna, abolito peccato, in omnibus beatis hominibus futura est, sicut in primis parentibus ante lapsum fuit. De hoc gradu Paul. inquit Gal, 5. v. 5. Nos spiritu in fide spem justitiæ expectamus. *Quid est justitia carnis?*

Est

Est obedientia externa juxta omnia mandata Dei, quam homo etiam in hac imbecillitate naturalibus viribus vtcunq; efficere potest [*Estq; hæc obedientia gubernatio locomotivæ seu externorum gestuum, & usitatè nominatur disciplina, quæ etsi non est integra impletio Legis, nec iustitia coram Deo, nec causa seu meritum remissionis peccatorum: tamẽ propter quatuor causas ab omnibus hominibus etiam non renatis, præstanda est. Primò, propter mandatum Dei. Deinde ut vitemus pœnas. Tertiò, ut præmia honesta consequamur. Quartò, ut non turbemus alios, sed cõmunem societatem adiuvemus, iuxta dictum; Diliges proximum tuum, sicut teipsum.*]

Quid est justitia bonæ conscientiæ?

Est nova obedientia in hominibus renatis, quæ etsi placet Deo, jacto priùs fundamento, hoc est, agnito mediatore Christo, & propter eum accepta remissione: Tamen propter

multiplicia impedimenta interna & externa, longè abest à perfectione Legis, nec potest opponi iræ & judicio Dei, sicut Paulus inquit: Nihil mihi conscius sum, sed propterea non justificatus sum, 1. Cor. 4. v. 4.

Quid est justitia Evangelij seu fidei?

Est remissio peccatorum, imputatio Iustitiæ, & acceptatio ad vitam æternam, quæ fit gratis, non propter ullas virtutes, aut opera propria, sed propter Filium Dei, unicum Mediatorem, & Redemtorem nostrum, ostensum in promissione gratiæ, & in vera conversione sola fide apprehensum. De hac justitia Paulus inquit, Rom. 3. v. 21. Sine Lege justitia Dei patefacta est, quæ est justitia Dei, seu donata à Deo, per fidem Iesu Christi.

De qua Iustitia potissimùm sermo est in doctrina de justificatione?

Non

Non de justitia legis, sicut gradibus suis definita & descripta est, sed de justitia Evangelii, qua homo tristi condemnatione Legis oppressus, liberatur à morte æterna, & fit hæres vitæ ac salutis æternæ, Ut Paulus testatur, Rom. 5. v. 1. Iustificati fide, pacem habemus apud Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum.

Quid Phrasi scripturæ verbum IVSTIFICARE *in hac doctrina significat?*

Non significat imbuere aliquem habitu justitiæ, aut infundere novas qualitates, quibus homo coram Deo justus fiat, ut Sophistæ in regno Pontificio, etiam contra Latini sermonis consuetudinem, interpretantur: Sed Ebræa consuetudine habet significationem forensem, & nihil aliud est, quam in judicio absolvere aliquem à culpa & pœna, & reum pronunciare justum, ut amplius pro reo non habeatur. (*Ac ut scriptura propriam & na-*

tivam hujus verbi significationem monstret plaruṅq; id opponit verbo accusandi & condemnandi, juxta dicta, Rom. 8. v. 33. Quis accusabit electos Dei? Deus est qui justificat. Deut. 25. v. 1. Iudices eum, quem justum perspexerunt, condemnabunt. Prov. 17 v. 15. Iustificans improbum, & condemnans justum, uterq; est abominatio coram Domino.)

Quare in hac doctrina fit mentio gratiæ?

Ut intelligatur, remissionem peccatorum, & reconciliationem gratis donari, propter Filium Dei mediatorem, & eximatur animis falsa opinio, quòd propter nostram dignitatem aut opera nostra, simus justi & accepti ad vitam æternam.

Quid significat vocabulum GRATIAE in hac doctrina?

Non significat Legem, gratis à Deo datam, ut Pelagiani falso interpretati fuerunt, neq; virtutes novas à S. S. excitatas, ut Monachi & horum pro-

pugna-

pugnatrix Synodus Tridentina, com-
miſcuntur: Sed Hebrea Phraſi ſig-
nificat miſericordiam Dei gratuitam,
qua omnibus in Filium credentibus
gratis remittit peccata, eosq; acceptat
ad vitam æternam, propter Filium,
quem fide apprehendunt. ut Paulus
teſtatur Eph. 2. v. 8. Gratia Dei ſalvati
eſtis per fidem, idq; non ex vobis,
Dei donum eſt, non ex operibus, ne
quis glorietur. Et alibi gratiam meri-
to & dignitati operum noſtrorum,
ſeu qualitatum in nobis, ſerio oppo-
nit, Rom. 4. v. 2. & 11. v. 6.

Quare in hac doctrina fit mentio Fidei?

Quia oportet in nobis aliquod me-
dium & inſtrumentum eſſe, quo ap-
prehendimus gratiam Dei, oblatam
in Evangelio, & nobis applicamus
meritum Filii Dei Mediatoris, pro-
pter quod juſti reputamur à Deo.

Quid eſt Fides?

Fides non eſt nuda noticia hiſto-

riæ, & doctrinæ à Deo traditæ, ut Pontificii contendunt: sed præter notitiam est assensus, quo assentimur omni verbo Dei nobis tradito, & in hoc etiam promissioni gratiæ, propter Filium Dei promissæ, & est fiducia acquiescens in Deo propter Filium, accedens ad Deū & clamans: Abba Pater, quæ sentitur in credentibus & in veris pavoribus affert consolationem & lætitiam. *Ideo Paulus fidem definit per πληροφορίαν, Roman. 4. v. 21. Per παῤῥησίαν & πεποίθησιν, Ephes. 3, v. 12. Et alibi inquit: Iustificati fide, pacem habemus. Rom. 5. v. 1.*

Quid igitur est Iustificatio hominis coram Deo?

Est acceptio remissionis peccatorum, imputationis justitiæ & reconciliationis gratuitæ, propter Filium Dei, quæ fit sola Fide, apprehendente misericordiam Dei in Filio promissam, gratis non propter nostram

dignitatem, nec propter ulla opera Legis, de quibus universaliter Paulus inquit: *Ex operibus Legis non justificabitur omnis caro coram Deo, Rom. 3. v. 20.*

Quomodo homo justificatur coram Deo?

Homo in conversione, id est, in veris doloribus & pavoribus conscientiæ, incussis à lege, accipit remissionem peccatorum, & reconciliationem ex immensa misericordia Dei, propter Filium Mediatorem, Deum & Hominem, non propter propriam dignitatem, seu propter virtutes proprias, aut propria opera seu merita, sed gratis, sola Fide, qua quisque pro se statuit, sibi quoq; propter hunc Mediatorem omnia peccata certo remitti. [*Sicut Paulus summam totius doctrinæ de justificatione artificiosissimè complexus est, Rom. 3. v. 24. Justificantur gratis ipsius DEI gratia, per redemtionem quæ in Christo IESV facta est, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem, in*

sanguine ejus, ad ostendendam Iustitiam suam per remissionem peccatorum.

Quæ est causa efficiens Iustificationis?

Deus seu tota Trinitas, Pater Filius, & Spiritus Sanctus. [*Nam Pater æternus recipit nos in gratiam propter Filium Mediatorem & Redemtorem nostrum, & per Spiritum sanctum accendit in nobis fidem, qua Filij meritum apprehendimus, & beneficia ipsius nobis applicamus. Ideo Paulus inquit, Rom. 8. v. 33. Deus est, qui iustificat. 1 Cor. 5. v. 19. Deus reconciliavit sibi mundū, nō imputans hominib⁹ sua peccata.*

Quæ est causa προηγουμένη in Deo?

Gratia seu misericordia Dei gratuita, qua nos indignos peccatores ex immenso amore complectitur propter Filium, ut Ioh. 3. v. 16. Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Ephe. 2. Deus dives in misericordia, secundum multam dilectionem suam, qua dilexit nos,

vivi-

vivificavit nos cum Christo, cum essemus mortui in peccatis.

Quæ est causa προκαταρκτικὴ?

Ingens miseria generis humani, quod propter peccatum obnoxium est morti & damnationi æternæ. [*Hac miseria movetur Deus, ut ex mera misericordia credentibus in Filium remittat peccata, & faciat eos hæredes vitæ æternæ, ut dulcissimè Paul. Ephes. 1. v. 13. confirmat.*]

Quæ est causa impulsiva seu meritoria?

Integra obedientia Filii Dei, qua meruit nobis justificationem & salutem æternam, cùm & legem pro nobis perfectè servavit, & pœnas peccatorum nostrorũ in passione & morte sustinuit, sicut Paulus Rom. 10. v. 4. testatur: Finis legis est Christus, ad justitiam omni credenti. Baptista clamat: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Iohan. 1. v. 38. Et Iohannes Apostolus 1. Epist. 2. v. 1. dicit: *Habemus advocatum apud Patrem*

Iesum

Iesum Christum justum, qui est propitiatio pro nostris peccatis, non pro nostris autē tantum, sed & pro totius Mundi peccatis.

Quæ est causa formalis nostræ Iustificationis?

Gratuita remissio peccatorum, imputatio justitiæ, seu quod idem est, obedientia Christi, qua sola coram Deo Iusti sumus, & accepti ad vitam æternam, juxta Pauli testimonia, Rom. 3, v. 25. *Ad ostensionem Iustitiæ ejus, quæ est per remissionem peccatorum.* Psal. 32. v. 1. Rom. 4. v. 7. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui Dominus non imputat peccatum.* Et Phil. 3. v. 9. *Vt non inveniar habens meam justitiam, quæ est ex Lege, sed eam, quæ est ex fide Christi, Iustitiam ex Deo in fide.*

Quæ est causa instrumentalis nostræ Iustificationis.

Respectu Dei, est promissio Evangelii, & Sacramenta, quæ sunt sigilla promissionis. [*Per hæc enim media De-*

us est efficax, accendens Fidem, & credentibus exhibens atq; applicans beneficia Filii Mediatoris, Rom. 1. v. 16. Tit. 3. v. 5.]
Respectu nostri, est Fides, qua sola, tanquam manu beneficia Filii Dei in promissione Evangelii oblata, apprehendimus & nobis applicamus, juxta dictum Iohan. *3. v. 16. Vt omnis qui credit in Filium, non pereat, sed habeat vitam æternam. Item. v. 36. Qui credit in Filium, habet vitam æternam.*

Quæ est causa finalis nostræ Iustificationis?

Gloria Dei, quod non tantùm sit justus sed etiam summè misericors, & ardentissimè diligat genus humanum, juxta Pauli dictum: *Ad ostensionem Iustitiæ suæ, quòd ipse sit justus, & justificet eum, qui ex fide Iesu Christi est*, Roman. *3.* v. *26.* Item. Conclusit Deus omnes sub peccatum, ut omnium misereatur, Rom. *11.* v. *32.* Et nota est sententia Iohan. *3.* v. *16.* Sic Deus dilexit mundum &c.

Deinde

Deinde dignitas obedientiæ Christi, quod hæc sola sit satisfactio pro peccatis mundi, ideoq; honos debitus huic Iustificatori tribuatur, juxta dictum: Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum Mundi, Ioh. 1. v. 29.

Tertiò, Salus Ecclesiæ, ut credentes salvemur, & vitam æternam consequamur, juxta vocem juramenti divini: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, Ezech 33. v. 11.

Quis est effectus justificationis?

Regeneratio seu renovatio, quæ aliàs sanctificatio, donatio Spiritus sancti, vivificatio & inchoatio novæ obedientiæ dicitur. [*Cum enim gratuita remissio peccatorum, & imputatio justitiæ Mediatoris, fide accipitur, simul Filius* DEI *vivificat corda, dicit consolationem in cordibus per Evangelium, & Spiritu sancto accendit tales motus, qualis est ipse Spiritus sanctus, ut Rom. 5. v. 12. dicitur: Per Chri-*

stum

ſtum Ieſum habemus gratiam & donum per gratiam.]

Eſtné hæc regeneratio ſeu renovatio pars Iuſtificationis noſtræ coram Deo?

Nequaquam. Etſi enim juſtificatio & regeneratio ſimul fiunt & intervallo temporis ſeparari non debent nec poſſunt: tamen non ſumus juſti coram Deo regeneratione, ſeu inchoata in nobis novitate; ſed gratis fide, propter ſolum Mediatorem & Redemptorem noſtrum Ieſum Chriſtum, cujus obedientia & meritum in infinitum anteferri debet novis motibus, qui per Spiritum S in nobis accenduntur. [Et ut conſcientiæ perterrefactæ firmam conſolationem habeant, non deducendæ ſunt ad initia novitatis, ſed ad ipſum Mediatore Ieſum Chriſtum, per quem ſolum gratia & veritas nobis facta eſt Ioh. 1. v. 17. Ideo Paulus accuratè diſcernit juſtificationé & regenerationem, Tit.

3. v. 5

3. v. 5. Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos opulenter per Iesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius hæredes simus vitæ æternæ.]

[*Notandum tamen, quòd regeneratio nonnunquam solam remissionem peccatorum & adoptionem in filios Dei significet, in qua significatione Apologia Confessionis Augustanæ vocabulo Regenerationis frequenter uti solet. Sæpe etiam Regeneratio in genere & Justificationem, & Renovationem subsequentem complectitur, ut Ioh. 3. v. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu &c.*]

Quomodo intelligenda est propositio Paulina: Fide justificamur, Rom. 3. v. 20?

Correlativè, videlicet, per misericordiam Dei sumus justi, propter Filium, quem fide apprehendimus, non propter absolutam fidei qualitatem, quæ etsi est excellens virtus: tamen est

imper-

imperfecta & languida, & nequaquã cum cæteris virtutibus omnibus opponi potest judico Dei iracentis: ut David clamat Psal. *143.* v. *2. Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*

Solâne Fide justificamur coram

DEO?

Omninò. Etsi enim particula SOLA secundum literam in scriptura sacra, cùm de justificatione hominis loquitur, expressè non reperitur: tamen exclusiva, GRATIS, eam comprehendit, & extant in sermone Apostolico propositiones æquipollentes, sine Lege, sine operibus Legis, non ex operibus Legis Roman. *3*, v. *12*, *28*. Non nisi per fidem IESU Christi justificamur, Gal. *2*. v. *16*. Et † Ambrosius disertè inquit: Hoc constitutum est à Deo ut qui credit in Christum, salvus sit sine opere, sola Fide, gratis accipiens remissionem peccatorum.

† (in

† (*in explanatione 1. Cor. 1.*)

Quæ est vera sententia exclusivarum, GRATIS, SOLA FIDE, ET SINE OPERIBVS?

Non excludunt à causa justificationis obedientiam & meritum Filii Dei: nec simpliciter negant præsentiam reliquarum virtutum cum Fide, cum qua in vera conversione à Spiritu sancto simul accenduntur: sed excludunt à causa Iustificationis omne meritum, omnem conditionem, fiduciam, gloriationem, dignitatem, & necessitatem nostrorum operum, sive præcedant justificationem, sive hanc sequantur per efficaciam Spiritus sancti, sicut Paulus diserte inquit, Rom. 3. v. 27. Per Legem fidei omnem gloriationem operum excludi.

Quare retinendæ sunt exclusivæ, *Gratis*, *Sola fide*, *& sine operibus?*

Propter quatuor causas. Primum,

ut

ut tribuatu rdebitus honos Filio Dei, quod hæc sola hostia sit precium pro nobis juxta dictum: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata Mundi. Ioh. 1. v. 29.

Secundò, ut conscientiæ habeant firmam consolationem, juxta dictum Rom. 4. v. 16. Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio. [*Si enim penderet remissio ex dignitate nostrorum operum, semper esset incerta, & opprimerentur perterrefactæ mentes desperatione.*]

Tertiò, ut conspiciatur discrimen Legis & Evangelii, quia particula *Gratis, Fide, Propter Mediatorem*, præcipuè discernit Legem & Evangelium.

Quartò, Ut invocatio fieri possit, quæ impeditur conspectu nostræ indignitatis. *Ideo accedendum est ad Deum fiducia solius Mediatoris, iuxta dictum, Rom. 5. v. 2. Per hunc habemus accessum. Item: In hoc habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem eius, Ephe. 3. v. 12.*

Certone

Certóne statuendum est, quod simus in gratia per fidem Iesu Christi?

Firma fiducia, absque omni dubitatione statuendum est, quod verè simus à Deo recepti in gratiam, & habeamus remissionem peccatorum, justitiam & vitam æternam, cùm promissionem Evangelii firmo assensu amplectimur, & vera fide in Filio Dei Mediatore acquiescimus, ut Psal. 2. v. 13. dicitur: Beati omnes, qui confidunt in eo. Et Paulus Actor. 13. v. 29. inquit: *Per hunc Iesum Christum omnis qui credit, justificabitur.*

Qui errores de justificatione damnandi & fugiendi sunt?

Primùm Hypocritarum omnium, quales fuerunt Pharisæi in populo Iudaico, & hos secuti Origenes, Pelagius, & Monachi in regno Pontificio, qui hominem per ceremonias Mosaicas, vel per honestam disciplinam, & opera moralia, à vi-

ribus naturalibus profecta, coram Deo iustum esse senserunt.

Deinde Sophistarum in regno Pontificio, qui in propositione Paulina. *Fide iustificamur*, Synecdochen fingunt, & hominem fide formata per charitatem iustificari, vel partim Fide, partim operibus bonis, coram Deo iustum esse docent: & cum impio & blasphemo decreto Synodi Tridentinæ, hominem in perpetua dubitatione manere iubent, cum de sufficientia & perfectione suorum operum nunquam certus esse possit.

Tertio Enthusiastarum & similium fanaticorum, quorum alii hominem Iusticia Dei essentiali, qua in credentibus habitat, iustum esse imaginantur: Alii dividentes personam Christi, eundem non secundum utramque naturam, sed vel secundum divinam solam, vel secundum humanam solam, iustíciam nostram esse

contendunt. Alii certum momentum Justificationis fingunt, in quo Fides sola sit sine operum præsentia, & in corda hominum velut in urceolos vacuos infundatur.

Quartò Synergistarum & Sophistarum recentium, qui duas partes Justificationis statuunt, remissionem peccatorum, & regenerationem seu renovationem, & hominem simul imputatione Justitiæ & inchoatione novæ obedientiæ, coram Deo justum esse fingunt, & bona opera ad Justitiam & salutem necessario requiri sentiunt, ita ut absque horum præsentia, homo justificari & salvari non possit.

Locus X.

DE BONIS OPERIBVS.

Quid sunt bona opera?

SUnt opera interiora & exteriora, non humana audacia extra verbum

bum Dei excogitata, aut à naturali tantùm virtute profecta: sed mandata à Deo, in Decalogo rectè intellecto, facta à renatis, virtute Spiritus sancti in fide, id est, in vera agnitione & fiducia Mediatoris, & relata ad hunc finem, ut Deus honore afficiatur, & justificatio ac fides renatorum publicè coram aliis hominibus declaretur. Ideo etiam effectus Justificationis, fructus Fidei, & cultus Dei, usitatè nominantur.

Quomodo fieri possunt bona opera?

Auxilio Filii Dei, & Spiritus sanct.

[*Etsi enim externa opera honestæ disciplinæ humana diligentia aliquo modo fieri possunt; tamen interiorem obedientiam in hac imbecillitate naturæ corruptæ, sine agnitione Evangelij, & sine Spiritu sancto, ne inchoari quidem posse, universa scriptura, & ipsa experientia spiritualis testatur. Ideo pollicetur Filius DEI, se nobis affuturum esse, & depulsurum*

diaboli sævitiam, sicut inquit, Iohan. *14. v. 18. Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. Præterea effundit Spiritum sanctum in corda invocantium,† qui excitat novos motus congruentes Legi* DEI, *& opitulatur imbecillitati nostræ, ut pravis affectibus repugnare & obedientiam Deo placentem aliquo modo præstare possimus, juxta dictum: Effundam super domum David spiritum gratiæ & precum, Zach. 12. v. 10.*] † *Rom. 8. v. 26.*

Quomodo placent DEO *bona opera, cùm sint imperfecta?*

Placent in conversis & reconciliatis, non propria sua integritate & dignitate, sed FIDE sola, propter Filium Mediatorem, sicut *1. Petri 2. v. 5.* dicitur: Offerte hostias spirituales placentes DEO propter IESUM Christum.

Propter quas causas facienda sunt bona opera?

Non

Non ut his mereamur remissionem peccatorum, Justitiam & salutem æternam, quam in vera conversione gratis, fide, propter Filium Dei Mediatorem consecuti sumus, sed propter alias causas gravissimas, quarum septem recenseri possunt.

Quæ est Prima?

Necessitas mandati & debiti, quæ est ordinatio Dei æterna, ac immutabilis, qua creatura rationalis obligatur, ut creatoris voluntati obtemperet, non coacte, sed libere, obedientia voluntaria & spontanea, quam & mandatum creatoris, & debitum creaturæ requirit. [*Sic præcipit* DEUS, *Ezech. 20. v. 19. In præceptis meis ambulate, & facite ea. Et Paulus inquit Rom. 8. v. 12. Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus, sed actiones carnis spiritu mortificemus.*]

Quæ est secunda causa?

Necessitas vitandi scandala, ne

morum turpitudine offendamus alios, néve malefactis nostris turbemus Ecclesiam, Rempublicam & reliquam vitam civilem, cum gravissimè scriptum sit: *Væ homini, per quem venit scandalum, Matth. 18. v. 4.*

Quæ est tertia causa?

Necessitas vitandi pœnas atroces, quæ ordine Justitiæ divinæ comitantur atrocia delicta, ut tota Mundi historia plena est tristissimorum eventuum, qui certò sunt pœnæ cùm primi lapsus, tùm aliorum peccatorum, ut David Psal. 39. v. 12. inquit: *Propter iniquitates corripis hominem.*

Quæ est quarta causa?

Ut DEO gratissimus pro immensa misericordia & bonitate, qua nobis remisit peccata propter Filium, & gloriam ipsius in genere humano celebremus, ut Matth. 5. 16. præcipitur: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant*

deant vestra bona opera, Et glorificent Patrem vestrum, qui est in cœlis.

Quæ est quinta causa?

Ut Justitiam & Fidem nostram publicè declaremus, & palàm testemur, verè nos Justificatos esse Fide, & hanc fidem non mortuâ sed vivam & efficacem esse in cordibus nostris juxta dictum Matt. 7. v. 17. *Bona arbor bonos fructus parit.* Et Iacob. 2. v. 15. dicitur: *Ostende mihi fidem ex operibus.*

Quæ est sexta causa?

Ut alios nostro exemplo ad pietatem & virtutem invitemus, & nostris officiis Ecclesiam, Rempublicam, & totam vitam civilem juvemus atq; ornemus, juxta præceptum: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, Levit, 18. v. 19. Matth. 22. v. 39.

Quæ est septima causa?

Ut præmia amplissima, spiritualia & corporalia, quibus dona sua in nobis coronat Deus, in hac vita, &

post hanc vitam consequamur, (*Augustinus Psa. 103*) sicut clarè ostendit parabola de negotiantibus, *Habenti dabitur*, Matth. 25. v. 29. Et 1. Timot. 4. v. 8. dicitur, *Pietas ad omnia utilis est, habens promissiones præsentis & futuræ vitæ.*

Súntne bona opera necessaria, an verò arbitraria seu liberà?

In renatis & reconciliatis fide, omninò necessaria sunt juxta gradus necessitatis, de quibus antea dictum fuit: Nequaquam verò sunt arbitraria, seu in libera hominis voluntate posita, ut ἀδιάφορα [*Etsi enim à renatis quos Filius Dei merito & efficacia sua liberavit, à libero spiritu proficiscuntur, & spontanea obedientia fiunt: tamen necessariò fidem & reconciliationem sequuntur, & necessariò præstanda sunt ab omnibus. Paulus inquit, Rom. 13. v. 5. Necesse est obedire, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

Súntne

Suntné bona opera necessaria ad Iustitiam & salutem conservandam?

Nequaquam. Sed Fides proprium & unicum illud medium est, quo Iustitia & salus non modo apprehenduntur, sed etiam à Deo conservantur, sicut Paulus. Rom. 5. v. 2. non tantum aditum ad gratiam, verum etiã quod in gratia perseveramus, & de gloria futura gloriamur, soli Fidei asscribit. Et Petrus ait: *In virtute Dei custodimini per fidem ad salutem. 1. Pet. 1. v. 5.*

Manentné in his vita peccata in sanctis seu reconciliatis Fide?

Sunt & manent peccata in renatis in hac vita, videlicet non delicta contra conscientiam, sed interiora mala, multum caliginis & dubitationum, multæ ignorãtiæ, omissiones, pravæ inclinationes, & flammæ malorum affectuum, quibus tamen repugnant

sancti Spiritu retinentes timorem Dei, Fidem & invocationem, nec ruentes contra conscientiam, sed deplorantes suam infirmitatem, ac petentes & credentes remissionē, juxta dictum: *Si spiritu actiones carnis mortificabitis, vivetis.* Item: *Nulla nunc condemnatio est his, qui in Christo IESV ambulant, Rom. 8. v. 1.*

Quæ peccata non sunt in sanctis, id est, propter quæ renati amittunt gratiam, & Spiritum sanctum, & rursus fiunt rei æternæ pœnæ?

Propter peccata contra conscientiam, & lapsus contra fundamentum id est, contra articulos Fidei, renati amittunt Spiritum sanctum, & fiunt rei æternæ pœnæ: Et nisi rursum ad DEVM cóvertantur, ruunt in æternas pœnas. [*ut Adam vere fuit reus æternæ iræ propter lapsum. Et Paulus inquit, 1. Cor. 6. v. 9. Scortatores, adulteri, homicidæ*

&c. non possidebunt regnum Dei. Item Galat. 5. v. 19. Manifesta sunt opera carnis adulterium, fœrtatio, idolatria &c. qui talia faciunt, Regnum Dei non possidebunt. Et Matth. 12. v. 44. expresse dictum est: redit spiritus nequam. Et. 2. Pet. 2. v. 22. Cùm redeunt ad vomitum ut canes, fiunt eis postrema deteriora prioribus. Aliqui autem rursus per pœnitentiam redeunt ad Deum, ut Adam, Aaron, David, Manasse, aliqui in impœnitentia perseverantes, pereunt, ut Saul, Iudas & horum similes.

Qui errores de bonis operibus damnandi & fugiendi sunt?

Primum, Pharisæorum & Pontificiorum, qui relicto verbo Dei, multa opera excogitaverunt, quibus opinionem cultus affinxerunt, cum scriptum sit: Frustra me colunt mandatis hominum, Mat. 15. v. 8. Esa. 29. v. 18.

Deinde omnium Hypocritarum, qui suis operibus vitam æternam mereri volùt, & admiratione disciplinæ

etiam politicas Ethnicorum virtutes, operibus renatorum pares faciunt, iisq; Deum coli sentiunt.

Tertio, monachorum in regno Pontificio, qui arroganter statuunt opera supererogationis, quod plura & majora opera facere possint, quàm quæ voce decalogi mandata sunt: & opera ceremonialia, quæ moralibus anteferunt, valere existimant ex opere operato, sine bono motu cordis.

Quarto, Anabaptistarum, Antinomorum & similium fanaticorum, qui fingunt omnes suos impetus esse motus Spiritus sancti, & neq; Legem Dei in Ecclesia doceri, neq; Lege Dei gubernari volunt. Quinetiam bona opera inter ἀδιάφορα recensent, & in libera hominis voluntate ponunt, & renatos etiam atrociter lapsos, neq; contristare, neq; excutere Spiritum sanctum & Fidem, somniat.

Quintò

Quinto doctorum recentium, quorum alii his per se absurdis propositionibus usi fuerunt.

Bona opera esse necessaria ad salutem.

Neminem unquam sine bonis operibus salvatum esse.

Impossibile esse, sine bonis operibus salvari.

Alii contrariam hyperbolen defenderunt:

Bona opera esse pernitiosa ad salutem.

LOCUS XI.
DE ECCLESIA.

Quid est Ecclesia?

ECclesia in hac vita est cœtus visibilis amplectentium incorruptam Evangelii doctrinam, & recte utentium sacramentis, in quo cœtu Filius Dei efficax est, & voce Evangelii, ac Spiritu sancto multos credentes regenerat ad vitam æternam. Sunt ta

men in eo cœtu multi non sancti, sed tamen de doctrina consentientes.

Estne hæc definitio generalis aut specialis?

Est generalis, complectens bonos & malos, quorum hi nomine tantùm, illi verò nomine & re, Ecclesiæ membra sunt. In specie autem & proprie loquendo; † Ecclesia Dei est congregatio sanctorum, qui verè credùnt Evangelio, & habent Spiritum sanctum, à quo vivificantur & reguntur, sicut Paulus Ephes. 5. v. 27. definit Ecclesiam, quod purificetur, ut sit sancta & inculpata. [*Hæc est vivum corpus Christi, & ejus regnum, distinctum contra regnum Diaboli, cujus membra sunt impij, licet in hac vita sint admixti Ecclesiæ, & cum ea societatem externorum signorum habeant.*] † Apolo: Augustan. Confessio, pag. 123. & seqq.

Semperne in mundo est aliqua Dei Ecclesia?

Omni-

Omnibus mundi temporibus fuit, est, & erit in genere humano peculiaris cœtus, qui nominatur Ecclesia, professione veræ doctrinæ, (licet interdum minus purus sit) segregatus ab impia multitudine generis humani, placens Deo, & electus ad vitam æternam, ut in Symbolo dicitur: *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem.* Et Paulus gravissimè inquit, Rom. 8. v. 30. *Quos Deus elegit, hos & vocavit.*

Quare Ecclesia dicitur sancta?

Ecclesia in hac vita dicitur sancta per Synedochen, quia multa habet membra sanctificata Spiritu sancto, quæ usitatè viva membra Ecclesiæ nominari solent: Sicut alij non sancti, mortua membra vocantur.

Quomodo Ecclesia est sancta, cùm adhuc circumferat peccatum?

Ecclesia sancta est duplici ratione,

imputatione & inchoatione. Primùm imputatione coram Deo, quia justitia Filii Dei Mediatoris ei imputatur, quam cum fide apprehendit, justa est coram Deo, & reliquæ sordes umbraculo Mediatoris teguntur, juxta dictum Psalm: *32.* v. *1.* *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Deinde inchoatione coram hominibus, quia per Spiritum sanctum inchoatur in ea novitas spiritualis, quæ in hac vita est imperfecta, sed in vita æterna cōsummabitur, ut *2.* Cor. *5.* v. *3.* dicitur. *Superinduemur, si tamen induti non nudi reperiemur.* [*Notandum igitur, quòd hæc duo, imputata fidei justitia, & inchoata justitia novæ obedientiæ, seu bonorum operum, non inter se permiscenda, nec simul in Articulum Iustificationis ingerenda sunt, ut Redemptori Christo suus honor illibatus maneat, & perturbatæ conscientiæ, certa ac firma consolatione, se sustentare possint.*]

Quares

Quare Ecclesia dicitur Catholica?

Quia ex omnibus gentibus sparsis per universum orbem terrarum colligitur, & universum corpus doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ amplectitur, sicut Christus præcepit Apostolis Marc. *16.* v. *16.* Ite in orbem universum, prædicate Evangelium, omni creaturæ. Et Psal. *19.* v. *5.* Rom. *10.* v. *18.* dicitur: in omnem terram exivit sonus eorum.

Quare Ecclesia dicitur Communio sanctorum?

Quia est talis cœtus, in quo omnes sancti, qui sanguine Filii Dei abluti, & per Spiritum sanctum sanctificati sunt, cómunionem seu societatem & participationem inter se habent, non modò ejusdem doctrinæ, sed etiam ejusdem spiritus, omniumque beneficiorum spiritualium, sicut scriptum est, Ephes. 4. vers. *4. Vnum corpus, unus*

spiri-

spiritus, sicut & in una spe vocati estis. Et Ioha. *1. v. 3. Vt societatem habeatis nobiscum, & societas vestra sit cum Patre & Filio ejus Iesu Christo.*

Quæ sunt signa Ecclesiæ Dei propria?

Signa non fallacia simul hæc tria sunt.

1. Consensus in doctrina Evangelii incorrupta, scilicet in fundamento.
2. Legitimus usus Sacramentorum.
3. Obedientia ministerio debita, juxta Evangelium, [*ut sequentia dicta testantur, Ioh. 14. v. 23. Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Matth. 28. v. 29 Docete eos servare omnia, quæcunque præcepi vobis. Ebr. 13. v. 17. Obedite his, quæ sunt propria ministerii, juxta Evangelium.*]

Vbi quærenda est Ecclesia Dei in mundo?

Vbicunque sonat vox Evangelii incorrupta, præsertim quod ad fundamentum attinet, ut Paulus loqui-

tur,

tur 1. Cor. 3. v. 11. id est, ubi articuli Fidei integri, & sine corruptelis traduntur, & Sacramenta juxta ordinationem divinam legitimè administrantur, & non defenduntur manifesti cultus idolorum. [*Talis cœtus vocatorum, ubicunq; locorum vivat, licet aliàs plus, aliàs minus lucis habeat, est Ecclesia, in qua sunt multi verè placentes Deo, & rectè invocantes eum, & electi ad vitam æternam, juxta dictum, Ioh. 10. v. 27. Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego do eis vitam æternam.*]

Qualis cœtus est Ecclesia Dei in mundo?

Est cœtus aliàs major, aliàs minor, interdum florens pace & tranquillitate, plærumque vero oppressus cruce & calamitatibus, dispersus in imperiis, & alligatus non ad certa loca, aut ad certas personas, & successionem ordinariam, sed ad doctrinam Evangelii, & ad pium usum Sacramento-

mentorum [*ut testantur dicta, Zoph. 3. v 12. Relinquam in medio tui populum egenum & pauperem, sperantem in nomine Domini. Esa. 8. v. 20. Ad legem & testimonium: Si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis Lux matutina.*

An necesse est singulos salvandos fieri cives veræ Ecclesiæ?

Prorsus necesse est, singulos salvandos junctos esse cum vera Ecclesia, Fide, confessione, invocatione Dei, & voluntate servandæ Ecclesiæ, seu conjunctionis in Ecclesia, juxta dicta, *1.* Cor. *1.* v, *10.* Non sint inter vos schismata. Ebræ. *10* v. *25.* Non deserentes congregationem vestram. Galat. *1.* v. *8.* Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Psal. *27.* v. *4.* Unum petii à Domino, hoc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

Quæ res sunt necessariæ ad unitatem Ecclesiæ?

Consensus in fundamento, videlicet, in doctrina Evangelii incorrupta, & in usu Sacramentorum legitimo, & obedientia debita ministerio, juxta Evangelium, ut dicta supra citata testantur. [*Sed similitudo rituum, qui sunt ab hominibus instituti, nequaquam necessaria est ad unitatem Ecclesiæ, cum humanæ traditiones non sint cultus Dei. Ideo contra superstitionem multa testimonia tradita sunt: Rom. 14. v. 17. Regnum Dei non est esca & potus, sed justitia, pax & gaudium in Spiritu sancto. Nam qui in his servit Christo, placet Deo, & approbatus est hominibus, Item Colos 2. v. 16. Nemo vos judicet in cibo & potu.*]

Quod est fundamentum & caput Ecclesiæ Dei in mundo?

Non Pontifex Romanus, aut ulla alia creatura, potentiâ & gloriâ excellens, Sed solus Dei Filius, Dominus

noster

noster Iesus Christus, quem pater æternus singulari consilio & immutabili decreto constituit, non solum Sacerdotem & Regem, sed etiam caput Ecclesiæ, Spiritum suum in omnia sua membra diffundens, & sapientia ac potentia sua infinita, universum corpus suum regens atq; conservans, ut nullo alio visibili capite Ecclesiæ opus sit. [*Ideo David Psal. 110. v. 1 canit. Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis. Iuravit Dominus & non pœnitebit eum; tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Et Paulus gravissimè inquit. 1. Cor. 3. v. 11. Fundamentum aliud poni non potest, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Ephes. 1. 22. Dedit eum super omnia Caput Ecclesiæ, quæ est corpus ejus, plenitudo ejus, qui omnia in omnibus perficit.*

Quæ est potestas & autoritas veræ Ecclesiæ?

Vera Ecclesia non habet potesta-

tem

tem condendi nova dogmata, pugnantia cum Evangelio, aut instituendi novos cultus, prohibitos Lege divina, aut ordinandi ritus sua natura indifferentes, cum opinione cultus divini, aut interpretandi scripturam pro arbitrio: sed simpliciter alligata est ad verbum Dei, in scriptis Propheticis & Apostolicis compræhensu, & assumit consentientia testimonia puræ & orthodoxæ antiquitatis. [*Cumq; incidunt controversiæ de doctrina, judex est ipsum verbum Dei, & accedit autoritas veteris & purioris Ecclesiæ quæ est testis veræ doctrinæ, erudiens & confirmans alios infirmiores. Fides autem & invocatio non nituntur humana autoritate, sed solo verbo Dei, sicut scriptum est, Psal. 119. v. 150. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Item: Si quis aliud Evangelium prædicaverit, anathema sit. Gal. 1. v. 8.*]

Quo-

Quotuplices sunt mali, qui veræ Ecclesiæ in hac vita admixti sunt?

Duplices: Alii de doctrina rectè sentiunt, & sunt hypocritæ, habentes aliqua morum vitia. Alii sunt impii, & polluti manifestis sceleribus, quibus horribiliter deformant Ecclesiam.

Quid de utrisque sentiendum & statuendum est?

Impii & polluti manifestis sceleribus excommunicandi sunt communi voce Ecclesiæ, & à Magistratu, qui gladium gerit, severè puniendi. Communes infirmitates in moribus tolerandæ sunt, etiam in ministris Ecclesiæ. Nec propter aliqua scandala, quæ impunita manent, Ecclesia deserenda, & schisma faciendum est, si nullus sit error in doctrina, ut gravissimè Paulus præcipit 1. Cor. 1. v. 10. Non sint inter vos schismata. Ebr. 10.

v. 25.

v. 25. Non deserentes congregationem vestram.

Licetne discedere ab hostibus veræ doctrinæ qui tenent ordinariam potestatem?

Cum hostes veræ doctrinæ, etiamsi tenent gubernationem, & de ordinaria potestate gloriantur, non sint membra Ecclesiæ, sed mancipia & organa Diaboli, omnino ab ipsis discedendum est, ne contagiis falsorum dogmatum, & impiorum cultuum polluamur: Et tunc culpa schismatis non penes nos est, qui veram doctrinam & pios cultus defendimus: Sed penes hostes veræ doctrinæ, quia mandatum Dei est: Cavete vobis à Pseudoprophetis, Matth. 7. v. 15. Fugite idolatriam, 1. Corinth. 10. v. 8. Item: Si quis aliud Evangelium docuerit, anathema sit, Galat. 1. v. 8.

Qui errores de Ecclesia damnandi & fugiendi sunt?

Primum, fanaticorum, qui fingunt Ecclesiam sine notitia Evangelii, & sine ministerio: vel Ethnicos, ut Socratem, Aristiden, Ciceronem, & similes, propter excellentes quasdam virtutes politicas, membra Ecclesiæ esse somniant.

Deinde Pontificiorum, qui Papam seu Pontificem Romanum caput Ecclesiæ constituunt, eamq; ad sedem Romanam, ad ordinariam successionem Episcoporum, ad decreta conciliorum, & ad traditiones humanas alligant, & Episcopos audacissimè armant duobus regiis nervis, potestate interpretandi scripturam, & potestate Legum ferendarum de novis dogmatibus & cultibus, pugnantibus cum verbo Dei.

Tertiò, Donatistarum, quorum similes hodie sunt Anabaptistę, qui Ecclesiam imaginantur esse Ideam Platonicam, quæ sit sine omnibus vitiis

& dum jactitant, se constituere Ecclesiam, in qua nulli sint mali, prorsus ut Circumcelliones magnam colluviem pessimorum latronum contrahunt, ut exemplum Monasterienſe ostendit.

Locus. XII.

DE MINISTERIO ECCLESIASTICO.

Quid est ministerium Ecclesiasticum?

EST potestas docendi Evangelium administrandi Sacramenta, remittendi & retinendi peccata, à Deo ipso instituta, & legitime vocatis ministris commendata, ut ex genere humano colligatur Ecclesia, placens Deo, & multi ex impia multitudine conversi ad Deum, fiant hæredes vitæ ac salutis æternæ.

Quid est Minister Ecclesiæ?

Est persona ordinata à Deo, mediatè vel immediatè, ad docendum Euangelium, & ad Sacramentorum administrationem, & ad puniendum verbo, non vi corporali.

Quot sunt partes Ministerii Ecclesiastici?

Quinq; *1.* Prædicatio Evangelii.

2. Legitima administratio Sacramentorum.

3. Annunciatio remissionis peccatorum, facta agentibus pœnitentiam.

4. Excommunicatio impœnitentium, qui manifestis sceleribus polluti, emendare se nolunt.

5. Vocatio ministrorum Evangelii, quæ suo loco fit cum Ecclesia.

Quomodo probas has partes convenire ministerio Evangelij?

Has partes complectitur ipse Christus, commendans Apostolis ministerium, Mat. *28.* v. *19.* Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in no-

mine Patris & Filii, & Spiritus sancti Ioh. 20. v. 21. Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum, quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Et Paulus Tit. 1. v. 5. inquit: Constitue Presbyteros per singulas civitates, quemadmodum præcepi tibi.

Quis est autor ministerii?

Deus ipse, qui allocutus est primos parentes in Paradiso, per Filiũ edens dulcissimam promissionem de semine mulieris, contrituro caput serpentis. [*Hanc promissionem ipse Filius Dei sua voce repetivit sanctis Patribus & per ministerium Prophetarum, cujus ipse autor fuit, in populo Iudaico eandem, cum doctrina Legis propagavit & conservavit, donec assumta natura humana publicè ipse docuit, patefaciens voluntatem æterni Patris, & ministerium docendi divina autoritate nõ solum instituit, sed etiam Apostolis & ho-*

rum successoribus, omnibus piis & recte sentientibus doctoribus, commendavit, sicut ipse inquit Marc. 16. v. 15. Ite in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.]

Quæ est forma Ministerii?

Formam describit ipse Filius Dei, cùm inquit Iohan. 20. v. 21. Sicut misit me pater, ita & ego mitto vos. [*Certum est autem, Filium Dei à Patre non missum esse, ut administraret imperia mundi, sed ut munere docendi fungeretur, & id ipsum Apostolis ac ministris suis commendaret. Consistit igitur Ministerium in munere docendi, & longissimè differt ab administratione seu potestate politica, cum qua nullo modo confundi debet, sicut Christus ad Apostolos inquit, Lucæ. 22. v. 25. Reges gentium dominantur eis: Vos autem non sic.*]

Qualis igitur potestas concessa est Ministerio?

Potestas clavium, ut Christus ipse

nominat Matt. 16. v. 19, cum ad Petrũ inquit: Dabo tibi claves regni cœlorum, quicquid ligaveris in terra, erit ligatum in cœlo: & quicquid solveris in terra, erit solutum in cœlo. Et ad reliquos Apostolos Mat. 18. v. 8. Quicquid ligaveritis in terra, erit ligatum in cœlo, & quicquid solveritis in terra, erit solutum in cœlis.

Vnde sumta est appellatio clavium?

A conjugio & œconomia. Sponsus enim tradens claves sponsæ suæ, Dominam eam constituit bonorum suorum, eiq; potestatem facit reserandi & claudendi Thesauros, ut bona in usum familiæ rectè dispensentur & administrentur. Ita Filius Dei Ecclesiam sponsam suam, constituit Dominam bonorum suorum, quæ passione & morte sua promeruit, eiq; hanc potestatẽ dedit, ut bona sua rectè permi nistros idoneos dispenset, & admini-

ſtret, ſolvendo, & ligando, id eſt, remittendo & retinendo peccata. Ideoq; claves Eccleſiæ & miniſterii, ſunt claves regni cœlorum, non regni politici ſeu mundani, ut Pontifex Romanus cum Paraſitis ſuis contendit.

Quid eſt poteſtas clavium conceſſa Eccleſiæ?

Eſt poteſtas ſpiritualis, Eccleſiæ & miniſtris ejus à Filio Dei data & conceſſa, ut virtute verbi ſui & Sacramentorum, peccatores agentes pœnitentiam, à peccatis abſolvant ac liberent. Impœnitentes vero & in manifeſtis ſceleribus contumaciter perſeverantes, retentis peccatis à communione Eccleſiæ, ſolo verbo, non vi corporali, excludant.

Quibus partibus conſtat poteſtas clavium?

Duabus: Abſolutione & Excommunicatione.

Quid eſt abſolutio?

Eſt

Est Annunciatio remissionis peccatorum, loco & mandato Dei agentibus pœnitentiam facta, qua promissio Evangelii, in specie ipsis applicatur & confirmatur, ut certo statuant, se in communionem sanctorum susceptos, habere reconciliationem cũ Deo, & esse hæredes vitæ ac salutis æternæ. [*Hac absolutione Christus ad paralyticum utitur, Matth. 9. v. 2. Confide fili, remissa sunt tibi peccata tua.*]

Quid est Excommunicatio?

Est sæverissima sententia de retentione peccatorum, adversus impœnitentes, loco & mandato Dei pronunciata, qua propter peccata mortalia, in quibus contumaciter, omnibus admonitionibus spretis, perseverant, à communione Ecclesiæ excluduntur, ut redeant ad pœnitentiam, & per fidem in Christum salutem æternam consequantur. [*Hac excommunicatione*

Paulus utitur adversus incestum, 1. Cor. 5. v. 4. & seq.]

Quæ & qualis est efficacia Ministerii?

Efficacia verè divina, quæ non à personarum dignitate, sed à Deo autore & à virtute Spirit. sancti dependet & omnino hanc vim habet, ut quicquid Ministri Ecclesiæ, loco & mandato Dei, cum hominibus agunt, id omne tam ratum & efficax sit coram Deo, ac si Deus coram illud in Ecclesia egisset atque administrasset, sicut sonat promissio, Matth. *18.* vers *18.* Quicquid ligaveritis in terra, erit ligatum in cœlo: Et quicquid solveritis in terra, erit solutum in cœlo. Ioha. *20.* v. *23* Quorum cunq; remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis peccata, retenta sunt eis.

Quid est finis Ministerii?

Colle-

Collectio Ecclesiæ, conversio & regeneratio hominum ad vitam æternam, quam Deus non alio modo operari vult nisi per ministerium verbi & Sacramentorum. Ideo Paulus 2. Cor. 5. 18. nominat Ministerium reconciliationis, Et 1. Cor. 1. v. 21. gravissimè inquit: Placuit Deo per stultam prædicationem salvos facere credentes.

Licetne fungi ministerio sine legitima vocatione?

Nequaquam, sed necessaria est legitima vocatio, ne quis temerè invadat ministerium, & propria autoritate arripiat munus docendi, non commendatum à Deo. Ideo de falsis Prophetis conqueritur Deus per Ieremiam 23. cap. v. 21. Currebant, & non mittebam eos. Et Paulus ait Rom. 10. v. 15. Quomodo prædicabunt, si non missi fuerint.

Quotuplex est vocatio ministrorum legitima?

Duplex: alia est immediata, alia mediata.

Quid est vocatio immediata?

Quæ non fit per homines, sed immediate ab ipso Deo, excitante & mittente doctores præstantes, & instruente eos donis excellentibus per Spiritum sanctum, ut ministerium ipsorum sit felix & salutare Ecclesiæ. Talis fuit vocatio Prophetarum in veteri, & Apostolorum in novo Testamento.

Quid est vocatio mediata?

Quæ fit per homines, videlicet, per electionem Ecclesiæ, per Consistoria Ecclesiastica, & per autoritatem atque approbationem pii Magistratus, qui Pseudo Episcoporum loco tenet jus Patronatus. Talis est vocatio omnium in Ecclesia ministrorum, præter Prophetas & Apostolos.

[*Cumq; hæc vocatio fiat loco & mandato Dei, meritò pro legitima & divina vocatione habetur, quæ hoc modo vocatis firmam consolationem adversus omnes difficultates & furores diabolorũ ac malorum hominum, suppeditat, sicut Paulus Presbyteros Ecclesiæ Ephesinæ mediatè per homines vocatos, à Spiritu sancto Episcopos constitutos esse docet, Actor. 20. v. 20.*]

Valetné ordinatio ministrorum, facta sine autoritate Pontificis Romani & Episcoporum?

Omninò valet, & efficax est coram Deo, quia habet mandatum divinũ, Tit. 1. v. 5. Constitue Presbyteros per civitates, sicut ego præcepi tibi, & addita est promissio omnium maxima, quæ testatur, Deum verè efficacem esse per ministerium eorum, qui autoritate Ecclesiæ electi & ordinati sunt, ut testatur dictum universale de Apostolis & omnibus sonantibus verbum, traditum per Aposto-

los: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti, Rom. 1. 16.

Quæ sunt præcipua officia Ministrorum legitimè vocatorum?

Officia præcipua sunt sex. 1. Veram & in corruptam Legis & Evangelii doctrinam proponere auditoribus, falsa dogmata refutare, & contradicentes veræ doctrinæ convincere, Marc. 16. v. 15. Tit. 1. v. 9.

2 Legitimè administrare Sacramenta, juxta ordinationem & institutionem divinam, Matth. 28. v. 19.

3. Remittere peccata agentibus pœnitentiam, & impœnitentibus peccata retinere, Iohan. 20. v. 23.

4. Alios Ecclesiæ ministros legitimè vocatos, de doctrina & moribus examinare, & idoneis publico ritu ordinationis commendare Ministerium, Tit. 1. v. 5. 1. Tim. 5. v. 22.

5. Curam habere pauperum & ægrotorum, ne egestate & fame pereant,

ant, sed Ecclesiæ liberalitate sustententur, Gal. 2. v. 10. 1. Tim 5. v. 16. 6. Disciplinam Ecclesiæ accurate regere, & exemplis omnium virtutum prælucere auditoribus, ut scandala vitentur. Matth. 5. v. 16. 1. Tim. 4. v. 12.

Quæ & qualis est potestas Ministrorum Ecclesiæ?

Ministri Ecclesiæ legitimè vocati, duplicem habent potestatem: Ordinis, & Iurisdictionis.

Quid est potestas Ordinis?

Est mandatum docendi Evangelii, & Sacramenta legitimè administrandi, juxta ordinationem & institutionem divinam.

Quid est potestas Iurisdictionis?

Est Mandatum de gubernatione Ecclesiæ, de usu clavium, de vocatione & ordinatione Ministrorum, de conservatione disciplinæ Ecclesiasticę & de ordinandis iis, quæ ad εὐταξίαν &

tran-

tranquillitatem Ecclesiæ pertinent. [*Non autem hæc potestas in tyrannidem & superstitionem transformari, sed ubique certo & expresso Dei verbo regi, & intra metas ministerii divinitùs præscriptas, contineri debet.*]

Estné ministerium verbi Sacramentorum efficax, etiam si mores ministrorum sint vitiosi?

Omninò: Evangelium & Sacramenta ritè administrata efficacia sunt, propter promissionem Dei, non propter ministrorum personam, quia ministri propter vocationem Ecclesiæ, repræsentant non suas proprias personas, sed personam Christi, cujus vice & loco docent Evangelium, & Sacramenta administrant. [*Ac prorsus fieret incerta fides nostra, si vis Evangelij & Sacramentorum, penderet ex dignitate ministrorum. Ideò Christus mentes nostras, & fidem nostram, à persona ministrorum, ad se revocat, inquiens: Qui*

vos

vos audit, me audit, Luc. 10. v. 16. Et Iohannes inquit: Ego baptizo aqua, alius autem baptizabit vos igni & spiritu Sancto, Iohan. 1. v. 26.

Qui errores de ministerio Ecclesiastico damnandi & fugiendi sunt?

Primùm Pontificiorum, qui ministerium Ecclesiæ transformant in potestatem politicam, & hujus prætextu horribilem tyrannidem in Ecclesiam exercent.

Deinde, Enthusiastarũ, Schwenkfeldianorum, Calvinistarum, & similium fanaticorum, quorum alii contemnunt & abolent publicum ministerium docendi, tanquam rem inanem & inutilem, & fingunt peculiares raptus, quibus homines præter & extra ministerium convertantur. Alii ministerium externum verbi & Sacramentorum, negant esse organum Spiritus sancti, & ministros Ecclesiæ in administratione Sacramen-

torum,

torum, tantum externa elementa, & non cum his spiritualia & cœlestia dona, distribuere & conferre docent.

Tertiò, Donatistarum, veterum & recentium quales sunt hodie Anabaptistæ, qui contendunt, nec Evangelium, nec Sacramentum ullum, etiam rectè administratum, efficax esse, si ministrorum mores sint vitiosi.

Locus XIII.

DE SACRAMENTIS.

Quid nominatur Sacramentum in Ecclesia?

SAcramentum in novo Testamento, ut Ecclesia loquitur, est ritus divinitùs institutus, additus promissioni in Evangelio traditæ, ut sit organum efficaciæ divinæ & testimonium ac pignus exhibitæ & applicatæ promissionis gratiæ. Ideo † vetustas

tustas dixit: *Sacramentum est signum gratiæ.* († Augustinus lib. 10. de civitate Dei, capite 55.)

Quotuplicia sunt Sacramenta?

Duplicia: alia Veteris, alia Novi Testamenti.

Quod est discrimen inter Sacramenta veteris & novi Testamenti?

Quod ad finem & usum attinet, nullum est discrimen. Utraque enim Sacramenta, sunt ceremoniæ, additæ promissioni gratiæ, ut sint sigilla voluntatis Dei erga nos, & testimonia promissionis. In eo autem est discrimen, quod Sacramenta veteris Testamenti fuerunt typi adumbrantes venturam victimam Messiæ, Coloss. 2. v. 17. Ebræ. 10. v. 1. Et per hosce typos beneficia Messiæ Deus conferebat patribus, ut fide in Messiam venturum, gratiam remissionem peccatorum, justitiam, vitam, & salutem æternam consequerentur.

Sacra-

Sacramenta verò novi Testamenti sunt ipsum corpus, Coloss. 2. v. 17. id est, testantur de Messia jam exhibito, & res ipsas, de quibus loquitur promissio, corpus nimirum & sanguinem Christi, omniaque ejus beneficia, offerunt & exhibent, non rerum umbras.

Deinde in symbolis externis & ritibus ipsis aliqua est diversitas, propter ordinationem Dei, seu formam institutionis, certo verbo sancitam, & comprehensam in utroque Testamento.

Quot sunt Sacramenta Novi Testamenti?

Pontificii numerant septem: Baptismum. Cœnam Domini, Pœnitentiam, Confirmationem, Ordinationem, Unctionem & Matrimonium seu Conjugium. Si autem non quodlibet opus præceptum à Deo, cui aliqua promissio addita est, spectemus,

sed

sed ad ceremonias divinitus institutas in prædicatione Christi, & promissioni gratiæ annexas, tanquam sigilla & signa voluntatis divinæ, oculos & animos referamus, tantùm duo sunt Sacramenta Novi Testamenti, Baptismus & Cœna Domini, quibus addi potest absolutio, quæminus proprie Sacramentum dicitur, cum externo & visibili signo destituatur.

Quot sunt partes substantiales singulorum Sacramentorum?

Duæ. Primum, visibilia Elementa seu Symbola externa, quæ aliqua cognitione repræsentant beneficia Novi Testamenti. Deinde verbum Dei duplex, videlicet, mandatum & promissio, ut de Baptismo dicitur: *Baptizate in nomine Patris, Filij & Spiritus sancti; Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, Marc. 16. v. 15.* De Cœna Domini: *Accipite, edite & bibite, Hoc*

est

est corpus meum, quod pro vobis datur. Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Mat. 26. v. 26.

Pertinetné fides quoque ad substantiam Sacramentorum?

Nequaquam. Non enim substantia Sacramentorum pendet à fide hominis, sed à verbo & veritate Dei. Sacramenta sunt & manent vera atque perfecta Sacramenta, propter ordinationem & institutionem divinam: etiamsi is, qui administrat, aut qui accipit Sacramenta, fide careat. Nec incredulitas hominũ veritatem Dei irritam reddit, ut Paulus Rom. 3. v. 3. testatur. Fides autem ad usum & applicationem Sacramentorum requiritur, quia in usu credit promissioni, & credenti applicat beneficia, ostensa & oblata in promissione, ideo † Augustinus inquit: Non Sacramentum, sed fides Sacramenti justificat,

Et

Et nota est Pauli sententia: Corde creditur ad justitiam, Rom. 10. v. 10. (+Sententia passim repetita in scriptis August.)

Quis est autor Sacramentorum?

DEUS ipse, & Filius DEI, Dominus noster Iesus Christus, qui autoritate divina Baptismum & Cœnam Domini instituit. [*Nec ulli creaturæ licet Sacramenta instituere aut mutare ordinationem divinam. Ideo propter Deum autorem Sacramenta magnifieri, & summa cum reverentia administrari & usurpari debent.*]

Quæ est forma Sacramentorum?

Forma Sacramentorum est actio certi generis, institutа divinitus consistans pronunciatione verborum institutionis, & administratione Elementorum in oculos incurrentium, & directa ad finem institutum à Deo. [*Hinc exstructa est regula, omni observatione dignissima: Nihil habet*

rationem

rationem Sacramenti extra usum institutum à Deo, hoc est, Sacramenta extra actionem à Deo institutam, & translata ad usus ab institutione alienos, non sunt Sacramenta, sed spectacula impia, & damnata à Deo.]

Qui sunt fines Sacramentorum?

Fines principales sunt duo.

Primùm sunt signa voluntatis Dei erga nos, videlicet commonefacientia nos de promissione, & applicantia promissionem ad singulos.

Deinde sunt signa societatis Ecclesiæ & confessionis, quæ Ecclesiam discernunt ab omnibus gentibus, & sunt nervi publicorum congressuum in Ecclesia. [*Consideratis finibus principalibus, postea allegoriæ & significationes aliæ addi possunt quæ pios de præcipuis Evangelii partibus, & de multis vitæ officiis admonent.*

Quis est effectus & usus Sacramentorum?

Primùm

Primum sunt organa, seu media & instrumenta, per quæ Deus efficax est ad regenerationem hominum & salutem ipsorum æternam. [*Sunt enim verbum visibile, ut Augustinus* (Tractat. *18.* in Iohan.) inquit, *& corda simul per verbum & ritum Sacramentorum movet Deus, ut credant & concipiant fidem, sicut ait Paulus: Fides ex auditu est*, Rom. *10. v. 17. Et sicut verbum incurrit in aures, ut feriat corda; ita ritus ipse Sacramentorum incurrit in oculos, ut moveat corda. Idem igitur effectus est verbi divini, & Sacramentorum.*]

Deinde, sunt Testimonia confirmantia fidem, & applicantia promissionem gratiæ generalem, ad singulos rectè utentes Sacramentis, sicut Paulus circumcisionem vocat sigillum justitiæ fidei, Rom. *4. v. 11.* Et in forma baptismi dicitur: Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Tertio, sunt commonefactiones de nova obedientia, ut in hac per Spiritum sanctum quotidie proficiamus, & post pium Sacramentorum usum non secundum carnem, sed secundum spiritum vivamus, ut de Baptismo Paulus inquit, Romano. cap. 6. v. 4. *Consepulti sumus cum Christo per Baptismum in mortem, ut sicut Christus ex mortuis resurrexit, per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.*

Quomodo differunt Sacramenta & Sacrificia?

Sacramenta sunt ritus divinitùs instituti, in quibus Deus affirmat se nobis aliquid dare, Id est testatur, credentes recipi à se, & eis applicari promissionem, ut de circumcisione dicit: *Ego ero Deus eorum, Gen. 17. v. 8.* Sacrificia autem sunt opera quæcunque à Deo præcepta, quæ nos reddimus Deo, ut ostendamus, nos agno-

scere,

scere, hunc verè esse Deum, quem sic colimus, & velle eũ coli, sicut docet.

Quot sunt species Sacrificiorum?

Duæ: Sacrificium propiciatorium seu ἱλαστικόν, & Sacrificium Eucharisticum

Quid est sacrificium ἱλαστικὸν seu propitiatorium?

Est unicum Christi sacrificium, quo Christus sese offert æterno Patri, & derivat in se iram, & meretur nobis sua obedientia reconciliationem, sicut inquit Iohan. 17. v. 10. Ego sanctifico me pro ipsis, ut & ipsi sint sanctificati in veritate.

Quid est Sacrificium εὐχαριστικόν?

Omnia bona opera sanctorum, facta in agnitione & fide Mediatoris, sunt sacrificia Eucharistica, quia referuntur ad hunc finem, ut Deus celebretur. [*Ideo inquit Epistola ad Ebræ. 13. v. 15. Per Christum offerimus sacrificium laudis Deo, id est, fructum labiorum*

confitentium nomini ejus. Ad hanc speciem pertinent etiam typica sacrificia, qualia erant Levitica in veteri Testamento, & fiebant Moralia, quia facientibus in fide, erant exercitia Confessionis & gratiarum actionis.]

Qui errores de Sacramentis damnandi & fugiendi sunt?

Primùm, Pontificiorum, qui septenarium Sacramentorum numerum sine scripturę testimonio defendunt, & Sacramenta gratiam conferre docent ex opere operato, sine bono motu utentis.

Deinde, Enthusiastarum & Schwenkfeldianorum, qui usum Sacramentorũ prorsus abolent, dum peculiares illuminationes & revelationes de cœlo expectant, per quas Deus in ipsis efficax sit ad salutem.

Tertio, Anabaptistarum, Zwinglianorum, Calvinistarum, & similium fanaticorum, qui fingunt Sacra-

menta

menta tantum esse notas externæ professionis, aut allegorias bonorum operum, aut ceremonias otiosas & symbola inania, absque iis rebus, quas verbum & ordinatio divina promittit. Denique inter Sacramenta veteris & novi Testamenti, quoad res ipsas, nullum discrimen, sed eandem omnium Sacramentorum rationem esse fingunt.

Locus. XIIII.

DE BAPTISMO

Quid est Baptismus?

EST instituta à Filio Dei mersio in aquam, (vel aspersio aquæ) cum pronunciatione verborum: *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, testificans, quia hoc testimonium divinitus institutum est, eum, qui cum hac pronunciatione verborum mergitur (vel aspergitur) in hoc ipso actu ablui sanguine Filii Dei

à peccatis, reconciliari Deo propter Filium, & regenerari ac sanctificari Spiritu sancto ad vitam æternam.

Quæ est sententia verborum Baptismi: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti?

Hæc verba complectuntur summam Evangelii, & sunt benedictio, qua consecramur Deo, & per quam super nos invocatur nomen DEI. [*Est autem hæc eorundem sententia: Ego minister hoc ritu testificor in nomine, id est, mandato divino te, qui sic mergeris & aspergeris, hoc ipso lavacro regenerationis ablui à peccatis, & recipi à vero Deo in gratiam, qui est æternus Pater Domini nostri Iesu Christi, & Filius, & Spiritus sanctus, & recipi te propter Filium, & regenerari, ac sanctificari Spiritu sancto, ut sis Filius DEI, & heres vitæ ac salutis æternæ.*]

Quid verba Baptismi à Baptizato requirunt?

Vt

Vt verba Baptismi promissionem & consolationem dulcissimam nobis proponunt; ita vicissim ab omnibus baptizatis postulant fidem, & hanc obligationem, ut hunc verum Deum, æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, & Filium ejus, & Spiritum sanctum agnoscamus. [*Comprehendenda est igitur in his verbis correlativa sententia: Ego minister testificor, te recipi in nomen, id est, ad agnitionem & invocationem veri Dei, qui est Pater æternus Domini nostri Iesu Christi, & Filius, & Spiritus sanctus, & recipi te propter Filium Redemtorem Ecclesiæ, & sanctificari te Spiritu sancto, quem verum Deum agnosces & invocabis, & palàm vicissim testaris hoc Baptismo, te omnia commentitia numina execrari.*]

Quot sunt partes Baptismi?

Duæ. Elementum aquæ, & verbum Dei, continens mandatũ & promissionẽ. Fides vero ad substãtiã Baptismi

non requiritur, sed ad usum & applicationem, quia credit promissioni, & applicat beneficia, quæ in ea offeruntur, ut supra in genere dictũ fuit.

Quare Filius Dei Elementum aquæ ad Baptismum ordinavit?

Quia hoc ipso Elemento pulchrè adumbratur efficacia Baptismi. Ut enim per aquam corporis sordes abluuntur: ita per lavacrum Baptismi, tinctum sanguine Filii Dei, sordes peccatorum nostrorum abluuntur, juxta dictum, Eph. 5. v. 26: Christus emundat Ecclesiam lavacro aquæ in verbo. Et Augustinus expresse scribit. Tract. 11. in Johan. *Baptismum sanguine Christi rubere.* Id quod etiam D. Lutherus multis in locis repetivit, *In cantico*: Christ unser HERR zum Jordan kam.

Vbi extat mandatum de Baptismo?

Matthæi ultimo. v. 19. Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & S. S.

Vbi extat promissio de Baptismo?

Marci ultimo: v. 16. Qui crediderit & Baptizatus fuerit, salvus erit. Qui vero non crediderit, condemnabitur.

Quare fides necessaria est in Baptismo?

Quia promissio Baptismo annexa, non nisi fide apprehendi & applicari potest. [*Et hac fide baptizatus vicißim obligat se DEO ad obedientiam pro acceptis beneficijs. Ideo Petrus vocat Baptismum stipulationem bonæ conscientiæ erga Deum, per resurrectionem Iesu Christi, qui est in dextera Dei, 1. Pet. 3. v. 21 Fit enim in Baptismo mutuum fœdus inter Deum & hominem baptizatum. Deus recipit te, qui cunq; baptizaris, propter filium resuscitatum & per eum, & propter eum, delet peccata tua, & sanctificat te ad vitam æternam. Tu vicißim agnoscis, hunc verè esse Deum, qui se in hoc Filio resuscitato patefe-*

cit. Et hunc verum Deum invocas fiducia Filii. Ita fit stipulatio bonæ conscientiæ & mutua obligatio Dei & hominis baptizati, quæ est rata & efficax propter Filium Dei resuscitatum, regnantem, & verissime colligentem Ecclesiam in genere humano per Evangelium.]

Quis est autor Baptismi?

Tota Divinitas: Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Hic enim verus Deus ceremoniam Baptismi per Iohannem & Apostolos primùm instituit, & per hunc ritum omnibus Ecclesiæ temporibus efficax est ad salutem omni credenti, ut Luc. *7.* v. *29.* Baptismus Iohannis certo ac deliberato consilio Dei administratus esse, & Matth. *21.* v. *25:* Ex Deo, non ex hominibus fuisse dicitur. Ita in Baptismo Christi Matth. *3.* v. *3.* tota Divinitas præsens est, ut Baptismum suam ordinationem esse testetur. Et Christus ipse Apostolis mandat, ut

bapti-

baptizent omnes gentes in nomine, hoc est, mandato & loco Dei Patris, Filii, & Spiritus sancti. Matth. 28 v. 19.

Quod est discrimen inter Baptismum Iohannis & Christi?

Quod ad ministerium externum attinet, nullum est discrimen: Sed personæ ipsæ plurimum differunt. Christus ut naturâ Deus, & fons & autor nostræ salutis, & propria potentia efficax per Baptismum, dat Spiritum sanctum, & regenerat ac renovat baptizatos, ut sint hæredes vitæ æternæ, sicut Iohan. 1. v. 33. dicitur: Hic est, qui baptizat Spiritu sancto. Iohannes verò, ut nudus homo, est minister verbi & ritus externi, qui sola aqua baptizat, nec propria potentia & efficacia dat Spiritum sanctum, ut Matthæ. 3. v. 11. Iohan. 1. v. 22: ipse fatetur: Ego baptizo vos aqua ad pœnitentiam.

Quod est discrimen inter Baptismum Iohannis & Apostolorum, ac cæterorum ministrorum?

Quòd ad finem & effectum Baptismi attinet, nullum est discrimen. Vere enim Baptismus fuit testimonium remissionis peccatorum & lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritus sancti, sive eum Iohannes, sive Apostoli administrarunt, ut de Iohanne expresse dicitur Marc. 1. v. 4. Luc. 3. v. 3. Quòd prædicaverit baptismum pœnitentiæ ad remissionem peccatorum. Differentia autem est in hoc articulo, Quod Iohannes de Christo mox suscepturo officium suum prædicavit, Actor. 19. v. 5. Apostoli vero in nomine Iesu Christi, passi & resuscitati baptizarunt, & eodem modo cæteri ministri in novo Testamento Baptismum administrare & communicare solent.

Quæ est forma Baptismi?

Forma

Forma Baptismi est tota actio, sancita voce divina, videlicet, mersio hominis in aquam, vel aspersio facta per aquam, & pronũciatio verborum solemnium, in quibus invocatur verus Deus, ut baptizatum mundet, in gratiam recipiat, per Spiritum sanctum regeneret, & salute æterna donet. [*Ritus autem ab hominibus instituti, ad formam Baptismi non pertinent, sedinter ἀδιάφορα recensentur. In his aliqui ad doctrinam & pietatem utiles, retineri possunt, ut Exorcismus, qui est publica Confessio de atrocitate peccati Originalis, quòd omnes non renati in potestate Satanæ sint, & de vi atq; efficacia Baptismi, per quem ex hac tristi servitute Diaboli liberamur, & reddimur templa & domicilia Spiritus sancti.*]

Suntne infantes baptizandi?

Infantes sunt baptizandi, juxta mandatum Christi: Baptizate omnes gentes. Matth. 28. v. 19. Et

confirmatio manifesta hæc est ex Evangelio sumta.

Omnes salvandos oportet inseri Ecclesiæ in hac vita; juxta dictum Rom. 8. v. 30. Quos elegit, hos & vocavit. Unde regula tradita est: Extra Ecclesiam non est salus.

Infantes sunt salvandi; & verè ad ipsos pertinet promissio gratiæ & salutis æternæ, quia Dominus inquit, Marc. 10. v. 14. Sinite parvulos ad me venire, quia talium est regnum cœlorum. Item Matth. 18. v. 14. Non est voluntas Patris mei, ut pereat unus de parvulis istis. Sunt igitur infantes baptizandi & inserendi Ecclesiæ. [*Hic ad confirmationem adjungantur & testimonia primæ Ecclesiæ. Origenes expresse inquit in 6. caput ad Romanos: Ecclesia ab Apostolis accepit traditionem, etiam parvulis dare Baptismum. Sciebant enim illi, quibus arcana mysteriorum commendata fuerunt, quòd sint in omnibus genuinæ*

næ sordes peccati, quas per aquam & Spiritum sanctum aboleri oportet]

Habentne infantes fidem?

Omnino. Nam Deus in infantibus qui sunt in Ecclesia, & cujus nomen super eos invocatum est, verè est efficax, & sanctificat eos Spiritu sancto, pro ipsorum captu, quia hæredes vitæ æternæ sanctificari Spiritu sancto, necesse est, juxta dicta: nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnum cœlorum, Iohan. *3.* v. *3.* Item *1.* Cor. *15.* v. *50.* Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt, scilicet, sine regeneratione. Cumq; alibi scriptum sit, Impossibile est sine fide placere Deo, Ebræ. *11.* vers. *6:* Infantes autem placeant Deo, juxta dictum: Sinite infantes venire ad me: necesse est in ipsis esse fidem, quam etiam Christus expressè ipsis tribuit Matthæ. *18.* versu *6.* inquiens: qui

offen-

offenderit unum ex parvulis istis, qui in me credunt. David de se adhuc lactante inquit. Psal. 22. v. 10. Tu me confidere fecisti, cùm ab uberibus matris meæ penderem. Et Iohannes Baptista in utero matris efficacia Spiritus sancti, Messiam præsentem agnovit, Luc. 1. v. 44.

Quis est finis Baptismi?

Ut in peccatis concepti & nati regeneremur, & hæredes vitæ æternæ efficiamur, & inserti Ecclesiæ auxilio Spiritus sancti, quem in Baptismo accipimus, vitam piam & inculpatam, in sanctitate & justicia Deo placente, ducamus, ut Rom. 6. v. 4. dicitur. Consepulti sumus cum Christo per Baptismum in mortem, ut sicut Christus resuscitatus est ex mortuis per gloriam Patris: ita nos in novitate vitæ ambulemus.

Qui

Qui sunt effectus & fructus Baptismi?

Primùm, Baptismus est lavacrum regenerationis, per quod divina virtute & efficacia regeneramur, & donata nobis remissione peccatorum & imputatione justitiæ, efficimur Filii Dei & hæredes vitæ æternæ, sicut Christus Iohan. 3. vers. 3. testatur: Nos renasci ex aqua & spiritu, ut ingrediamur regnum cœlorum. Et Paulus inquit Tit. 3. v. 5, *Deus nos salvos fecit per lavacrum regenerationis, ut justificati gratia ipsius, fiamus hæredes vitæ æternæ.*

Deinde Baptismus est lavacrum renovationis Spiritus sancti, qui per Baptismum, sicut per verbum, efficax est in Baptizato, & in eo habitans, naturam peccato pollutam, paulatim mortificat & renovat, aucta subinde nova luce & justitia, donec omni peccato, per mortem in nobis expurgato,

purgato, integra imago Dei in nobis restituatur, Tit. 3. v. 5. Rom. 6. v. 4.

Tertio, Baptismus est pignus nostræ salutis & hæreditatis vitæ æternæ, quod à morte æterna, & à vinculis Diaboli liberati, & Filio Dei atque Ecclesiæ Dei inserti, omniũ beneficiorũ filii Dei participes simus, & certo habeamus salutem ac vitã æternã, juxta promissionẽ: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, Marc. 16. v. 16.*

Quartò, Baptismus est stipulatio bonæ conscientiæ erga Deum, pro summis in nos collatis beneficiis, obligans nos Deo, ut per totam vitam militemus bonam militiam, &c. 1. Pet. 3. v. 21. 1. Tim. 4. v. 8.

Estne necessarius Baptismus ad salutem?

Omninò necessarius est ad salutem, quia à Filio Dei institutus est, ut sit ordinarium lavacrum regenerationis, quo contemto nemo regenerari ad vitam æternam, & salutis

æternæ

æteruæ particeps fieri potest, ut Iohan. 3. v. 3. gravissimè dicitur; Amen, Amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest intrare in regnum cœlorum.

[*Interdum verò necessitas excludit Baptismum, ut cùm infantes prius moriuntur, quàm baptizari possint. Hic sciendum est, non privationem, sed contemptum Baptismi damnare.* Bernhard. ad Hugonem de S. Victore, Epist. 77.) *Nec dubium est infantes, qui nulla suâ culpa Baptismo privantur, extraordinario quodam modo recipi à Deo in gratiam, & fieri participes salutis æternæ, si pia & ardenti precatione parentum, Filio Dei Salvatori commendentur, & offerantur, juxta promissionem: Talium est regnum cœlorum, Marc. 10. v. 14.*]

Quis est usus baptismi per totam vitam hominis?

Cum Baptismus non tantum sit fœdus infantium cum Deo, sed etiam

adul-

adultorum, durat ejus usus per totam vitam, & firmissimam consolationem adversus tentationes peccati, diaboli & mortis suppeditat. Est enim sigillum, certò confirmans nos, quod sanguine Filii Dei à peccatis abluti, & Deo reconciliati simus, donata nobis justitia Filii, δικαίωσις, & hæreditate vitæ æternæ.

Deinde, est certissimum pignus nostræ receptionis, etiamsi post Baptismum lapsi sumus, modo rursus ad Deum convertamur.

[*Quia in conversione homo per fidem verissimè & integrè restituitur per Mediatorem in possessionem promissionis gratiæ, & hæreditatis vitæ æternæ, juxta dictum, Ezech. 18 v. 21, Si impius egerit pœnitentiam, vivet, non morietur. Certò igitur sciant conversi, ipsis renovatum esse fœdus Baptismi, & ad ipsos pertinere promissionem Baptismo additam: Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Et sicut aliis*

pro-

promissionibus, ita verbis de Baptismo dictis, se verè confirment, & sciant, se receptos esse ab hoc vero Deo, qui est Pater Domini nostri Iesv Christi, *& quidem propter Filium Mediatorem, & sanctificari se Spiritu sancto ad vitam æternam.*]

Quæ sunt significationes Baptismi?

Mersio in aquam significat, veterem & corruptam naturam nostram, cum omnibus peccatis, falsis opinionibus, pravis inclinationibus, affectibus & actionibus vitiosis, per pœnitentiam quotidianam submergendam & abolendam esse. Emersio ex aqua significat, in Baptismo emergere & renasci novum hominem, ablutum à peccatis sanguine Filii Dei, & habentem novam lucem veræ agnitionis Dei, & novam Iustitiam ac vitam Deo placentem, Rom. 6. v. 4. Significat etiam Baptismus Ecclesiam mergi in afflictiones, eamq;

ex illis emersuram, & glorioſe liberatum iri, ſicut filius Dei liberatus eſt, qui inquit: *Poculum meum bibetis, & Baptiſmate meo baptizabimini, Matth. 20. 23.*

Tollitúrne peccatum in Baptiſmo, an verò remanet in baptizato?

In Baptiſmo tollitur peccatum imputatione & inchoatione, quia Baptizato non imputatur, ſed remittitur propter Filium Dei, ut deinceps perſona non ſit rea iræ Dei, & damnationis æternæ: & donatur Spiritus ſanctus, qui peccatum abolere, & naturam renovare incipit, licet integra abolitio peccati & perfectæ juſtitiæ reſtitutio in hac vita non fiat. Etſi autem peccatum in Baptiſmo tollitur, quoad formale: Tamen in baptizato manet materiale, hoc eſt, vitium originis, ſeu prava concupiſcentia, adeo tenaciter inhærés naturæ, ut ante mortẽ corporis nó expurgetur.

Li-

Licetne rebaptizare eum, qui semel ritè baptizatus fuit?

Ut satis fuit semel circumcidi, cùm esset mandata circumcisio; ita Baptismus semel tantum fieri, & nequaquam iterari & repeti debet, etiamsi ab hæretico, servante institutionem divinam, administratus fuit: [*Vt hæc gravissima ratio ostendit.*

Peccatum est abuti nomine Dei, & invocationem veram improbare.

Qui autem rebaptizant, improbant priorem Baptismum, tanquam inanem & inutilem, atq; ita improbant veram invocationem Dei, factam de hoc baptizato, & abutuntur nomine Dei.

Ergo ceremonia Baptismi nequaquã repetenda est. Et propter hanc causam infantes à piis matronis in extremo casu necessitatis ritè baptizati, nequaquã rebaptizãtur, sed Baptismus eorum, cum superstites manent, & in Ecclesiam adducuntur, publico testimonio coram Ecclesia confirmatur.]

Qui

Qui errores de Baptismo damnandi & fugiendi sunt?

Primùm, pontificiorum, qui multas ineptas & inutiles ceremonias, sine omni verbo Dei, Baptismo addiderunt, quibus vim magicam tribuerunt, & etiamnum hodie docent, Baptismum ex opere operato gratiam conferre sine fide, & concupiscentiam in baptizatis reliquam, non esse peccatum.

Deinde Anabaptistarum, qui infantes baptizari nolunt, eo quod fide careant, & eosdem ritè baptizatos, cùm per ætatem ratione uti possunt, rebaptizant, imo Baptismũ quiddam ἀδιάφορον esse sentiunt, quod nec prosit nec obsit saluti cùm fides sola, quàm sibi imaginantur, ad salutem sufficiat.

Tertio, Novatianorum, qui negarunt lapsos post Baptismum consequi remissionem peccatorum, con-

tra

tra dictum: Remittes non septies, sed septuagies septies, Matth. 18. v. 23.

Quarto, Zwinglianorum, Calvinistarum & similium fanaticorum, qui omnem vim & efficaciam Baptismo detrahunt, omnemq; consolationem miseris conscientiis eripiunt, dum petulanter scribere, & imprudenter affirmare audent.

1. Quod Baptismus, propriè loquendo non sit lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti, sed figuratè per Metonymiam sacramentalem, quia significet, & repræsentet interiorem regenerationem & renovationem Spiritus sancti, quæ etiam sine Baptismo, & extra Baptismum fieri possit in electis ad vitam æternam.

2. Quòd regeneratio in ipso actu Baptismi, neq; in electis, neq; in reprobis fiat, sed in maxima parte ge-

neris humani, destinata ad interitum nunquam fiat. In electis vero sæpe tum demum fiat, cum ad extremam senectam pervenerunt.

3. Quod infantes ex fidelibus parentibus in Ecclesia nati, dum adhuc in utero continentur, adoptati sint in fœdus Dei, & sint Filij Dei ac hæredes vitæ æternæ, prius etiam quàm baptizentur, aut etiamsi nunquam Baptizentur: Adoptio vero ipsorum per Baptismum significetur & obsignetur,

4. Quod infantes careant fide actuali, quæ est ex auditu verbi prædicati. Baptizantur autem in fide parentum, vel Ecclesiæ, non ut regenerentur & renoventur per Baptismum, sed ut in ijs obsignetur adoptio fœderis, in quo nati sunt, & gratia remissionis peccatorum, quam prius habuerunt, quàm ad Baptismum adducti fuerunt.

5. Quod

5. Quod regeneratio & salus nostra non pendeat à Baptismo, & quod obsignatio adoptionis, facta in Baptismo, tantum electis certa sit, non reprobis, qui etsi millies Baptizentur, nunquam tamen regenerentur, eò quod nunquam Deus eos dilexerit, nec velit eos regenerari, aut beneficiorum Filii sui participes fieri.

6. Quod electi, si post Baptismum ruant in peccata contra conscientiam, non amittant, sed retineant gratiam, fidem, & Spiritum sanctum.

Locus XV.

DE POENITENTIA.

Quid significat vocabulum Poenitentiæ in Ecclesia?

ETsi nomen pœnitentiæ magis congruit ad contritionem seu pavores & dolores: tamen sic Ecclesia nominat conversionem ad DEVM,

quæ & dolores, & consolationem continet, seu mortificationem & vivificationem, ut Paulus nominat Rom. 6. 4. v. Coloss. 3. v. 12. Et interdum narrationes Evangelicæ sic loquuntur: *Gaudium est Angelis in cœlo de uno peccatore pœnitentiam agente*, Luc. 15. v. 10.

Quid est Pœnitentia seu conversio ad Deum?

Pœnitentia seu conversio ad Deum est contritio, id est, verus pavor & dolor cordis, propter peccata nostra, & fide in Christum accipere remissionem peccatorum, reconciliationem, justificationem & vivificationem & inchoare novam obedientiam.

Quot sunt partes Pœnitentiæ?

Duæ: Contritio & Fides. Has duas partes necessariò sequitur nova obedientia, quam aliqui tertiam partem

pœni-

pœnitentiæ nominant, cùm potius sit pœnitentiæ fructus & effectus.

Quid est Contritio?

Est verè expavescere agnitione iræ Dei adversus peccata nostra, & dolere, quod Deum offendimus, juxta hæc dicta: Sicut Leo contrivit omnia ossa mea, Esa 38. v. 13, Et Esa. 66. v. 2. Ad quem respiciam, nisi ad contritum spiritu, & trementem sermones meos. Et Ierem. inquit: Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum, id est parturientium more consternatus sum, Ierem 31. v. 19.

Vnde oritur Contritio?

Non à viribus humanis, sed à Spiritu sancto, qui per vocem legis arguit peccata, & monstrans horrendam iram Dei, incutit cordibus hominum tristissimos pavores & dolores, propter admissa peccata, sicut Paulus Rom. 3. v. 20. Per Legem agnitio peccati. [*Et accedunt multiplices*

mutates in genere humano, quæ nihil aliud sunt, quam signa iræ Dei adversus peccatum, & acres stimuli excitantes in cordibus seriam contritionem, ut Paulus inquit: Dum judicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. 1. Cor. 11. v. 35.]

Estne Contritio necessaria?

Est necessaria aliqua contritio, quia in juramento Dei dicitur. Ezech. 33. v. 11. Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat. [Oratio copulativa est, & utrumq; affirmat: Vult fieri conversionem, & promittit vivificationem.

Significat autem in eo dicto conversio, non simulatum dolorem, sed seriam mutationem prioris propositi. Similia Testimonia sunt, Psalm. 51. 19. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum DEVS non despicies. Ioel. 2. v. 13. Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. 2. Cor. 7. v. 10. Contristati estis ad pœnitentiam, & tristitia secundum Deum

pœni-

pœnitentiam ad salutem non pœnitendam efficit.]

Potestne sufficiens esse Contritio, & mereri remissionem peccatorum?

Nequaquam contritio sufficiens esse potest, sed ubicunq; crescunt dolores sine consolatione & fide, ruunt homines in æternum exitium, ut exempla Cain, Saulis, Iudæ & similium testantur. Et manifesta contumelia contra Christum est fingere, quod contritio mereatur remissionem peccatorum.

Quid interest inter timorem servilem & timorem filialem?

Timor servilis, est pavor & sensus iræ Dei, sine fide, id est, sine fiducia misericordiæ, accedente ad Deum, & sine consolatione, erigente corda in doloribus inferorum, ut pavor in Saule, Iuda, & similibus, qui est horribilis fremitus adversus DEVM,

& fugit Deum de quo dicitur, 1. Ioha. 4. v. 18. Perfecta dilecto foràs ejicit timorem.

Timor filialis, est pavor & sensus iræ Dei, sed cum fide, id est, cum fiducia misericordiæ accedente ad Deum, qua liberantur corda ex doloribus, & clamant ad Deum: Abba pater, inter ipsos dolores, quos tamen vincit consolatio, sicut David in excellentibus doloribus, tamen erigitur, ut cum inquit Psal. 42. v. 1. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, sic desiderat anima mea ad te Deus meus. Talis est sanctorum contritio in hac tota vita. Et huc pertinet dictum: Timor Domini initium sapientiæ. Psalm. 111. v. 10. Proverb. 1. v. 7. & 9. v 19.

Quid est Fides, altera pars pœnitentiæ?

Est assentiri omni verbo Dei nobis tradito, & in hoc promissioni gratiæ,

tiæ. Et est fiducia promissæ misericordiæ, qua cor propter Mediatorem, & per eum, liberatur ex doloribus inferorum, & accedit ad Deum, & invocat eum, inclamans: Abba Pater, & hac vera consolatione acquiescit in Deo propter Mediatorem, & vivificatur per Filium, dato Spiritu sancto, ut dicitur Galat. 3. v. 14. Vt promissionem Spiritus accipiamus per fidem, & justus sua fide vivet, Abacuc. 2. v. 4.

Est ne Fides necessaria?

Omnino. Quia in conversione necesse est fieri mentionem, non solùm horrendi doloris, qui nominatur contritio, sed etiam consolationis, quia Deus inquit: Vivo ego nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat, Ezech. 33. v. 11. [*Et manifestum est, Filium Dei missum esse, non ut oppressi ira Dei, ruamus in æternum exitium, sed ut reconciliati propter ipsum si-*

de, & liberati ab ira Dei & æternis pœnis, rursus denemur justitia & vita æterna, & Deus palàm se nobis communicet, & sit omnia in omnibus, sicut inquit Christus: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Iohan. 3. v. 16.]

Sufficitne hanc fidem generalem esse?

Nequaquam, sed specialem eam esse necesse est. Non enim satis est, in veris pavoribus & doloribus conscientiæ in genere credere, quod Deus aliis remittat peccata, sicut & Diabolus credit, qui non ignorat, in Ecclesia reconciliationem esse sed oportet unumquemque intueri hunc articulum in Symbolo: Credo remissionem peccatorum, aut certo statuere, sibi etiam in specie remitti peccata, & se recipi à Deo in gratiam, propter Filium Mediatorem. [*De hac fide loquitur Paulus Rom: 4. v. 19. cùm do-*

cet

cet promissionem fide accipi. Non accipiunt promissionem, sed Deum mendacij arguunt, qui credunt, eam alijs, non sibi offerri, sicut in Epistola Iohannis scriptum est: Qui non credit Deo, facit eum mendacem, 1. Iohan. 5. v. 10. Ac semper sit in conspectu pulcerrima admonitoi Bernhardi: (Sermo 1. de Annunciatione.) *Crede quod per ipsum (Deum nimirum) TIBI peccata donentur. HOC est testimonium, quod perhibet Spiritus sanctus in corde tuo, dicens: Dimissa sunt tibi peccata tua.*]

Vnde oritur hæc Fides?

Hæc vera fides concipitur ex Evangelio, seu ex absolutione, quæ est ipsa vox Evangelij, cum Spiritus sanctus in pœnitentia, hoc est, in veris pavoribus & doloribus, ortis ex agnitione peccatorum, accendit in mente hominis cogitationem Evangelij, de gratuita remissione peccatorum propter Christum, & movet voluntatem ac cor hominis, ut firma fiducia

statuat, sibi remissa esse peccata, & cum lætitia in Deo acquiescat propter Mediatorem. Ideo Paulus inquit, Rom. 10. v. 17. *Fides ex auditu est, auditus verò per verbum Dei.*

Quid efficit discrimen inter contritionem Judæ & Petri; Saulis & Davidis?

Vera fides, de qua dictum est. Ideo Judæ & Saulis contritio non prodest, quia non accedit ad eam hæc fides, apprehendens remissionem peccatorum donatam propter Christum. Ideo prodest Davidis aut Petri contritio, quia ad eam Fides accedit, apprehendens Remissionem peccatorum, donatam propter Christum.

Quid est Nova obedientia?

Nova obedientia propriissimè est, juxta Pauli definitionem, militare bonam militiam, id est retinere fidem & bonam conscientiam, 1. Tim. 1. v. 18.

Est nè

Estne necessaria nova obedientia?

Est necessaria, ut fructus & effectus pœnitentiæ veræ, sicut inquit Baptista, Lucæ. 3. v. 8. Facite fructus dignos pœnitentiæ [*Necesse est enim in hac vita ante mortem corporalem fieri conversionem ad Deum, juxta dictum Zachar. 1. v. 3. Convertimini ad me, & ego convertar ad vos. Et ad Corinth. Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur, 2. Cor. 5. v. 4. Cum igitur post contritionem remissio peccatorum fide accepta est, sequatur nova obedientia, quæ quomodo in hac imbecillitate humana fieri possit, quomodo placeat Deo, & quæ præmia eam consequantur, supra declaratum est in doctrina, De bonis operibus.*]

Quomodo numerant Papistæ partes Pœnitentiæ?

Recensent tres partes: Contritionem, Confessionem & Satisfactionem, omissa fide. [*Vt autem de Con-*

tritione, vera & orthodoxa doctrina, paulò ante tradita fuit: ita necesse est de reliquis partibus rectè eruditi Ecclesiam ex verbo Dei, ne miseris conscientijs laquei dubitationū aut desperationis injiciantur.]

Quotuplex est confessio?

Vocabulum Confessionis non uno modo usurpatur in scriptis Propheticis & Apostolicis, & in historijs Ecclesiæ: sed aliàs intelligitur de privata confessione peccati in corde, aliàs de confessione offensionis, aliàs de enumeratione peccatorum, facienda administrantibus Sacramenta.

Quid est privata Confessio peccati in corde?

Est vera contritio erga Deum, qua homo immediatè coram Deo dolet se habere peccata, & fide petit remissionem culpæ & mitigationem pœnarum. De hac confessione intelligenda sunt verba David. Ps. 32. v. 5. Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remittis im-

pietat-

pietatem peccati mei. Et in Daniele dicitur: Tibi Domine justitia, nobis autem confusio faciei, Dan. 9. v. 9. Item Mich: 7. v. 9. Iram Domini portabo, quia peccavi ei.

Quid est Confessio offensionis?

Est petitio reconciliationis apud homines offensos, cùm hi, inter quos fuerunt simultates, fatentur utrinque sua delicta, & in mutuam gratiam redeunt, ut Iacob. 5 v. 16. inquit: Confitemini mutuo peccata vestra, id est, sanate inter vos offensiones, sicut Matthæi 5. v. 24. dicitur: Vade prius, & reconcilieris fratri tuo. Hæc confessio apud offensos, etiam est pars contritionis seu novæ obedientiæ, in talibus negotiis, quæ non sunt occulta.

Unde est confessio, quæ est enumeratio peccatorum, apud administrantes Sacramenta?

Hic ritus ortus est à spectaculis publicæ pœnitentiæ, quam sic nominavit & usurpavit vetus Ecclesia. Nam polluti sceleribus, quæ passim nota erant, cùm post factam excommunicationem, redituri ad Ecclesiam, petebant se recipi, commemorabant

sua

sua delicta publicè coram Ecclesia, ut, sicut tunc consuetudo erat, per aliquot dies starent in templo, cum signis reatus, & deinde publicè reciperentur.

Pertinuitne hic ritus ad peccata arcana, quæ privatim angunt conscientias?

Nequaquam sed tantum ad notoria delicta, & ad pollutos ejusmodi sceleribus, quæ passim nota erant, & nequaquam merebatur remissionem peccatorum, neque culpæ, neq; pœnæ, ut stolidè finxerunt Pontificii, sed tantum commonefactio erat apud alios homines, ut essent diligentiores in cavendis lapsibus, & cogitarent de magnitudine peccatorum. Item exploratio erat, quæ ostendebat, istos serio petere remissionem.

Estne enumeratio omnium, aut aliquorum delictorum, necessaria apud administrantes Sacramenta?

Cum

Cùm Pontificij spectacula publicæ pœnitentiæ inepte transtulissent ad confessionem privatam, mox impio decreto sanxerunt enumerationem omnium & singulorum delictorum, etiam arcanorum, faciendam administrantibus Sacramenta. Contra vero, nulla enumeratio delictorum necessaria est, quia manifestum est, nusquam extare præceptum divinum de enumeratione singulorum. Et enumeratio omnium est impossibilis, sicut scriptum est: *Delicta quis intelligit? Psal. 19. v. 13.*

Cur petitio Absolutionis privata retinenda est in Ecclesia?

Propter multas, gravissimas causas: Nam vox Evangelij & multis & singulis, qui ad Deum convertuntur, & consolationem petunt, remissionem peccatorum annunciat, juxta dictum: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, Iob. 20. v. 23.* Et nihil

dubium

dubium est, sacramenta vere esse applicationem generalis promissionis ad singulos, sicut Paulus Rom. 4. v. 11. inquit: Circumcisionem fuisse sigillum justitiæ, id est, commonefactionem de promissione, & testimonium applicationis.

Præterea necesse est in confessione privata exerceri Catechismum, ut minister Ecclesiæ ante absolutionem interroget auditores de doctrina, & exploret non tantum judicia ipsorum, sed etiam profectum, & segniores castiget atque erudiat,

Deniq; retento ritu privatæ absolutionis, magis in Ecclesia conspicitur discrimen Legis & Evangelii, & ostenditur testimonium ipsis exemplis, quod in Evangelio mandatum traditum sit de remissione peccatorum pronuncianda lapsis, redeuntibus ad pœnitentiã, sicut †Petrus Alexandrinus ritum publicum citavit

con-

contra Novatianos.

(† Tripar. lib. 1. cap. 18.)

Qua forma confessionis utendum est apud administrantes Sacramenta?

Utile est rudiores ad aliquam generalem enumerationem peccatorum, juxta ordinem præceptorum Decalogi, institutam, assuefacere, ut considerent & agnoscant suos morbos & lapsus, prius quam petant absolutionem.

Forma autem enumerationis talis esse potest:

VEnerande Domine, rogo, audiatis Confessionem meam, & absolutionem mihi annuncietis & impertiatis in nomine Christo.

Miser ego peccator, confiteor me reum esse, & horribiliter peccasse contra omnia præcepta DEI. Non est in me firma agnitio Dei, nec verus timor Dei, fides & dilectio ardens. In afflictionibus fremo adversus Deum, nec præsto veram pa-

tienti-

tientiam. Segnis & negligens sum in invocatione & gratiarum actione, in confitendo & propagando Evangelio. Non est in me vera reverentia erga ministerium, sum negligens in audiendo & discendo verbo Dei, & in usu Sacramentorum. Parentibus, Præceptoribus & reliquis superioribus meis, non tribuo debitum honorem & obedientiam. Nec satis fideliter facio officium vocationis meæ in studijs doctrinæ. Cor meum impurum est & contaminatum injusto odio flammis vindictæ atq; libidinum appetitione alieni, diffidentia, mendacio & sophistica. Denig; tota natura mea horribiliter depravata est concupiscentia, inclinationibus & affectibus pugnantibus contra omnia mandata Dei, & nihil sum nisi massa damnata, meritus iram Dei & pœnas præsentes ac æternas. Toto igitur corde doleo, quòd offendi Deum, & seriò statuo, deinceps emendare mores, vitare peccata & occasiones peccatorum. Confugio verò ad Mediatorem Filium Dei, qui in cruce factus est

victima

victima pro peccatis nostris, & reverenter peto à vobis, ut mihi annuncietis remissionem peccatorum in nomine Christi summi Sacerdotis nostri, juxta ipsius ordinationem expressam his verbis: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, Iohan. 20. v. 23.

Quomodo prodest absolutio pronunciata in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti?

Cùm fide eam apprehendimus, & nobis applicamus: Absolutioni enim ministri credere debemus tanquam voci de cœlo sonanti, ac certò statuere, vere nobis remitti peccata, non aliter, ac si Christus ipse sua voce de cœlo nobis annunciaret, & applicaret remissionem peccatorum, sicut ipse testatur. Iohan. *20.* v. *22. Accipite Spiritum sanctum, quorumcunque remiseritis peccata, remittuntur eis.* Et Matt. *18.* v. *18, Quicquid solveritis in terra, erit solutum in cœlo.*

Vnde sumta est appellatio satisfactionis?

Nomen satisfactionis à spectaculo publicæ pœnitentiæ sumtum est. Nã ut antea dictum est, mos fuit in Ecclesia vetusta, pollutos atrocibus & manifestis sceleribus, cum post excommunicationem se recipi peterent, collocare in certo loco templi spectandos in veste lugubri, & cum aliis signis reatus. [*Hic mos tantum fuit politicus quidam ritus disciplinæ causa institutus, ut homines magis abhorrerent à sceleribus, & mores suos accuratius regerent. Nequaquam autem pertinuit ad conscientiam seu remissionem peccatorum coram Deo, ut Pontificij hunc morem politicum impiè ad conscientias accommodarunt, & multas portentosas opiniones de satisfactionibus finxerunt.*]

Quotuplices sunt satisfactiones?

Duplices: Politicæ seu civiles: & Canonicæ à Pontificiis excogitatæ.

Quid

Quid sunt satisfactiones Politicæ seu Civiles?

Sunt rerum & famæ restitutiones, quæ sunt opera debita, hoc est, mandata lege Dei, necessaria ad veram contritionem, & bonum propositum & ad bonam conscientiam, ut qui defraudavit alium, debet compensare furtum: Qui alterum verbis vel factis injuria affecit, læso satisfacere debet, juxta illud Esai 1. v. 16. Desinite malefacere. Et Paulus Ephes. 4. v. 28 inquit: Qui furatus est, non furetur amplius.

Quid sunt satisfactiones Canonicæ seu Pontificiæ?

Sunt opera indebita, id est, non mandata à Deo, sed à Monachis excogitata, Quibus Pontificii scelerate fingunt, compensari pœnas æternas seu Purgatorii, aut certe alias pœnas temporales. [*Sic enim docent, Deum cum sit misericors, remittere cul-*

pam

pam, sed cum sit etiam justus & vindex, mutare pœnam æternam in temporalem purgatorii. Deinde addunt, partem pœnarum remitti potestate clavium, partem redimendam esse satisfactionibus. Hæc est summa commenti, quod facile refutatur hac unica regula: Frustra me colunt mandatis hominum. Esa. *29.* v. *13.* Matth. *15.* v. *9.*

Estne distincta remissio culpæ à remissione pœnæ æternæ?

Nequaquam distincta est: Sed remissio culpæ prorsus eadem est, quæ est remissio pœnæ æternæ, juxta dictum: Justificati Fide pacem habemus, Rom. *5.* v. *1.* Item: Justus sua Fide vivet, Habac. *2.* v. *4.* Certissimum est igitur, semper simul fieri Fide propter Filium Dei, & per eum remissionem culpæ & pœnæ æternæ. Hoc scire ad consolationem necessarium est.

Estne

Estne distincta remissio culpæ à remissione pœnæ temporalis in hac vita?

Est distincta, ut Adam, David., accipiunt remissionem culpæ, & nihilominus subijciuntur afflictionibus & ærumnis in hac vita, quæ etsi plærunq; sunt pœnæ certorum delictorum: tamen nequaquam sunt compensationes aut merita pro pœna æterna, ut insulsè & impiè finxerũ Monachi: Sed habet alias causas, quæ infra in loco de Cruce & calamitatibus Ecclesiæ recitabuntur.

Qui errores de Pœnitentia damnandi & fugiendi sunt?

Primum, Novatianorum, qui superbè nominarunt se καθαρὸς, & impiè finxerunt, lapsos post Baptismum non posse converti ad Deum, & cum rẽdeunt ad pœnitentiam, non

posse consequi remissionem peccatorum. Ideoq; petentes absolutionem absolvere noluerunt, contra dictum: Remittes non septies, sed septuagies septies, Matth. 18. v. 22.

Deinde Zwinglianorum & Calvinistarum, qui absolutionem privatam abolent, & afflictis conscientiis præcipuam consolationem eripiunt, quam in prava absolutione de remissione peccatorum propositam habent.

Tertio Pontificiorum, qui sequentia deliramenta pertinaciter defendunt.

Quòd susceptio sacramenti Pœnitentiæ ex opere operato, sine bono motu utentis, hoc est, sine fide in Christum, conferat gratiam.

Quod fides in Christum specialis, ut nominare solemus, non sit pars Pœnitentiæ.

Quod

Quòd in agentibus pœnitentiam contritio debeat esse sufficiens.

Quòd sufficiens contritio mereatur remissionem peccatorum.

Quòd in confessione necesse sit fieri enumerationem omnium, etiam arcanorum delictorum.

Quòd sufficiens enumeratio delictorum sit meritum remissionis peccatorum.

Quòd satisfactiones Canonicæ necessariæ sint ad redimendas pœnas æternas, aut pœnas Purgatorij.

Quòd per potestatem clavium pœnæ æternæ mutentur in temporales, & per indulgentias animæ ex Purgatorio liberentur.

Quod deniq; semper dubitandum sit de remissione peccatorum, cum nemo sciat, an contritio & confessio sit sufficiens, & an sufficienter satisfactum sit pro peccatis.

Locus XVI.

DE COENA DOMINI.

Quid est Cœna Domini?

EST actio sacra à Filio Dei Domino nostro Iesu Christo instituta, in qua ipse secundum utramq; naturam vere & substantialiter præsens, cum visibilibus Elementis pane & vino, verum suum corpus, & verum suum sanguinem, dignis simul & indignis, ore corporis manducandum & bibendum exhibet: & hoc sanctissimo pignore, non solum promissionem gratiæ credentibus obsignat, & fidem eorum de gratuita remissione peccatorum confirmat, sed etiam testatur, se credentes velut palmites & surculos sibi inserere, se in credentibus, velut in templis suis corporali-

ter

ter habitare, & corpora ipsorum mortua ad vitam & gloriam sempiternam resuscitare velle, ut his summis beneficijs excitati credentes, ardenti affectore gratias ipsi agant, memoriam beneficiorum ipsius conservent, more sincero se mutuo prosequantur, & omnibus officijs adiuvent publicam Ecclesiæ congregationem, in qua Deus celebretur, & multi fiant hæredes vitæ æternæ.

Vnde petenda est vera doctrina de Cœna Domini?

Non ex fundamentis humanæ sapientiæ, aut ex principijs Philosophicis, neq; ex analogia Sacramentorum veteris & novi Testamenti: sed ex perspicuis verbis Evangelij, quibus Filius Dei Dominus noster Iesus Christus sacrosanctam suam Cœnam, paulo ante passionem & mortem acerbissimam, instituit. [*Hæc verba ab Evange-*

angeliſtis Matth. 26. v. 26. Marc. 14. v. 22. Lucæ 22. v, 18. Et ab Apoſtolo Paulo, 1. Cor. 10. v. 16, & 11. bona fide recitata, fundamentum & fons ſunt totius doctrinæ de Cœna Domini, juxta graviſſimum teſtimonium æterni patris, Matth. 7. v. 5. Hunc audite. Et Paulus 1. Cor. 11. v. 21. Ego à Domino accepi, quod & tradidi vobis.]

Quot ſunt membra verborum inſtitutionis?

Duo. Prius deſcribit ſubſtantiam Cœnæ, quid in ea præſens ſit, & exhibeatur ſumentibus, cum dicitur: *Accipite, edite, Hoc eſt corpus meum. Bibite, Hic eſt ſanguis meus novi Teſtamenti.* poſterius deſcribit fructum Cœnæ, ad quid inſtituta ſit, & quomodo proſit ſumtio, cum dicitur: *Corpus pro vobis traditur. Sanguis pro vobis effunditur in remiſſionem peccatorum. Hoc facite in mei recordationem.*

Quoma-

Quomodo intelligenda sunt verba describentia substantiam Cœnæ?

Simpliciter, sicut sonant, κατὰ τὸ ῥητὸν, absq; omni tropo & figurata interpretatione, intelligenda & accipienda sunt, nec ulla concinna διάνοια neglecta verborum propietate, quærenda est. Sunt enim verba Testamenti, quibus Filius testator, ultimam suam voluntatem, propriè & perspicuè (sicut in civilibus ordinationibus fieri solet) sine omni ambiguitate & obscuritate, Ecclesiæ suæ exposuit.

Quæ est vera & genuina sententia verborum, quæ substantiam cœnæ describunt?

Vera & genuina sententia, quam verba institutionis proprie & simpliciter κατὰ τὸ ῥητὸν intellecta gignunt, hæc est: Quod in sacro-

sancta cœna Filii Dei, quando juxta ejus institutionem in Ecclesia administratur, verè & substantialiter adsint, & cum visibilibus Elementis, pane & vino distribuantur, & ab omnibus vescentibus, sive digni sint, sive indigni, ore corporis percipiantur, corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi, quæ certissima pignora sunt salutis nostræ, pro nobis in mortem tradita, & effusa in remissionem peccatorum.

Quomodo probas præsentiam corporis & sanguinis Christi in sacra cœna?

Per verba institutionis, cum de pane Cœnæ post gratiarum actionem & benedictionem solennem fracto, & discipulis porrecto, diserte Christus inquit: *Accipite, edite, hoc est corpus meum.* Et de poculo seu vino benedicto: *Bibite ex hoc omnes, Hic est sanguis meus novi Testamenti.*

Quomodo

Quomodo probas veram & substantialem præsentiam corporis & sanguinis Christi in sacra cœna?

Per particulam ἐξηγητικὴν, quam Christus prioribus verbis ubiq; addit, ut per eam, & substantiam ipsam, & substantialem præsentiam corporis & sanguinis sui definiat, ne quis vel typum vel figuram, vel signum nudum, vel efficaciam solam corporis & sanguinis absentis intelligat. Ita enim Christus ἐξηγητικῶς inquit: *Hic panis est corpus meum. QVOD PRO VOBIS TRADITVR. Hoc vinum est Sanguis meus, QVI PRO VOBIS EFFVNDITVR, in remissionem peccatorum.*

Qualis prædicatio est: Panis Cœnæ est Corpus Christi: Vinum Cœnæ est sanguis Christi?

Prædicatio non regularis, nec figurata, sed insolita, pugnans cum or-

dine naturæ, [*quam D. D. Lutherus* (2. parte contra cœlestes Prophetas. Item in Confes. majore contra prædicationem Identicam.) *synecdochen nominavit, non ut tropum aliquem in verbis statueret, quæ propriam suam significationem ubiq; retinent, sed ut modum prædicationis adversus Pontificios, tollentes substantiam panis, & adversus Sacramentarios tollentes substantiam Corporis Christi, perspicue declararet, & unione Sacramentali panem cœnæ, corpus Christi, & vinum Cœnæ, sanguinem Christi esse doceret.*]

Quid est Vnio Sacramentalis?

Non est transsubstantiatio Papistica, nec Physica consubstantiatio, nec localis inclusio, nec durabilis aliqua conjunctio corporis & sanguinis Christi, cum visibilibus elementis, extra usum Cœnæ: Sed est miranda & ineffabilis copulatio visibilium Elementorum, & corporis & sangui-

nis

nis Christi, quæ ordinatione divina secundum verba institutionis fit in usu Cœnæ, & hoc ipsum declarat, quod *in, cum, sub* visibilibus Elementis, pane & vino vere adsint, & communicentur corpus & sanguis Christi, sicut Paulus *1. Cor. 10. v. 16* inquit: *Panem esse communicationem corporis Christi Et Poculum esse communicationem sanguinis Christi*, Id est, Corpus & sanguinem Christi communicatum seu distributum multis. Et Irenæus eleganter inquit lib. *4.* cap *34.* Eucharistiam duabus rebus constare terrena, pane & vino: Et cœlesti, corpore & sanguine Christi.

Quæ est vera sententia particularum, IN CVM, SVB Pane & Vino, adest & exhibetur corpus & sanguis Christi?

Hæ particulæ, quibus orthodoxa antiquitas in hoc mysterio explicando usa est, non ideo retinentur, ut per

eos modus præsentiæ corporis & sanguinis Christi definiatur, qui simpliciter imperveſtigabilis & ineffabilis est. sed ut Papistica mutatio panis in Corpus Christi, & fanatica opinio de absentia corporis & sanguinis Christi, refutetur. Et econtra vera & substantialis præsentia corporis & sanguinis Christi in cœna asseratur.

Quare orthodoxa antiquitas usa fuit appellationibus, SIGNI, SYMBOLI, & FIGVRAE?

Non utveram ac substantialem præsentiam corporis & sanguinis Christi negaret, sed ut commentum Papistarum de transsubstantiatione (quod maturè in Ecclesiam irrepsit) refutaret, & panis ac vini substantiam in usu cœnæ non amitti, sed remanere doceret, sicut Paulus 1. Cor. 10. v. 16. Panem benedictum in ipso usu nominat communicationem corporis. [*Ac certum est, veterem & orthodoxam Ecclesiam*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778722015/phys_0280
DFG

fiam inde usq; à temporibus Apostolorum, hanc affirmativam sententiam constanter defendisse, quod in cœna Domini vere & substantialiter adsit corpus & sanguis Christi, & cum illis rebus, quæ videntur, nempe cum pane & vino, exhibeantur, & communicentur omnibus hac cœna utentibus. Negativa vero sententia, de absentia corporis & sanguinis Christi, & de nuda symbolorum panis & vini perceptione, ex orthodoxorum Patrum scriptis demonstrari non potest.]

Quotuplex est manducatio corporis & sanguinis Christi in sacra cœna?

Duplex: Sacramentalis & Spiritualis.

Quid est manducatio Sacramentalis?

Est non tantum physica Symbolorum panis & vini perceptio, sed etiam mystica corporis & sanguinis Christi vere & substantialiter præ-

sentis perceptio, quæ cum Symbolis externis ore fit in usu Cœnæ, modo non naturali & terreno, sed supernaturali & cœlesti, qui unioni sacramentali respondet.

Quomodo probas sacramentalem seu oratem manducationem corporis & sanguinis Christi?

Per verba institutionis, cum Christus idipsum, quod cum pane & vino benedicto revera adest & exhibetur, non credere, sed edere & bibere jubet. Hoc cum nullo alio corporis organo, quam ore fieri possit, manifestum est, velle Christum, ut cum visibilibus Elementis, quæ physico & naturali modo percipiuntur, simul ore nostro substantiam corporis & sanguinis sui vere præsentem percipiamus, modo non Physico, sed mystico, qui captum humanum longissime superat, & nulla ratione, neque pervestigari neque explicari potest.

Esine

Estne sacramentalis manducatio communis dignis & indignis?

Maximè. Quia Christus ad omnes, qui sacra Cœna utuntur, sive digni sint, sive indigni, sine discrimine inquit: *Accipite, edite, Hoc est corpus meum: Bibite, Hic est sanguis meus novi Testamenti.* [*Ac certum est, veram & substantialem præsentiam, & manducationem sacramentalem Corporis & sanguinis Christi, non pendere à dignitate sumentium, sed ab institutione & ordinatione divina.*]

Qui sunt digni?

Qui juxta Pauli præceptum, 1. Cor. 11. seipsos probant, hoc est, serio agunt pœnitentiam, & in veris doloribus fide petunt, sibi remitti peccata, propter mortem Christi, & habent propositum emendandi mores, & inchoandi novam obedientiam Deo placentem.

Qui

Qui sunt indigni?

Qui seipsos non probant, hoc est, qui in cœtu vocatorum seu in externa societate Ecclesiæ, sine pœnitentia vivunt, & fide vera destituuntur, nec habent propositum emendandi mores, sed perseverant in delictis contra conscientiam, quibus prætexunt usum cœnæ Dominicæ, ne publice arguantur & ex cœtu Ecclesiæ ejiciantur.

Quomodo probas, indignos ore suo percipere corpus & sanguinem Christi?

Quia Marc. 14. v. 13. expresse dicitur: Biberunt ex eo omnes, [*in quorum numero, cum etiam Judas proditor Domini fuerit, quem impium hypocritam fuisse constat, non dubium est, ipsum cum reliquis discipulis ore suo corpus & sanguinem Christi percepisse, quod Christus etiam apud Lucam 22. v. 21. confirmat, cum institutioni cœnæ sacræ hæc verba subjungit: Ecce manus ejus, qui me prodit, mecum est*

in

in mensa. Iohannis 13. v. 30. de Iuda scribit, quod offula accepta, continuò exiverit: Et Paulus 1 Cor. 11. v. 26. quosdam corpus & sanguinem Christi indignè edere & bibere testatur.]

Est ne idem effectus Sacramentalis manducationis in dignis & indignis?

Nequaquam. Digni enim corpus & sanguinem Christi ore suo ad consolationem, vitam & salutem æternam percipiunt. Indigni vero ad iudicium seu pœnam, vel temporalem, si agant pœnitentiam, vel æternam, si in impœnitentia perseverent, ut Paulus gravissimè inquit, *1. Cor. 11. v. 27.* Qui ederit panem hunc, aut biberit poculum indigne, reus erit corporis & sanguinis Christi. Item. *v. 29.* Qui edit & bibit indignè, iudicium sibimetipsi bibit & edit, non dijudicans corpus Domini.

Quid est manducatio spiritualis?

Est in pio usu Cœnæ sacræ vera fide statuere, corpus Christi pro se in mortem traditum, & sanguinem ejus pro se effusum esse, in remissionem peccatorum, juxta verba Christi: *Corpus meum pro vobis traditur: Sanguis meus pro vobis effunditur in remissionem peccatorum.* [*De hac manducatione Christus etiam Iohan. 6. loquitur, cum Cœna sacra nondum instituta esset, ut universam Ecclesiam doceat, spiritualem manducationem corporis & sanguinis sui, etiam extra usum Cœnæ sacræ, in vera pœnitentia fide fieri posse.*]

Pertinetne spiritualis manducatio ad substantiam, vel ad fructum Cœnæ?

Non pertinet ad substantiam Cœnæ constituendam, sed ad fructum Consistit enim in vera fide, qua fit applicatio beneficiorum, quæ Christus traditione corporis sui, & effusione sanguinis sui promeruit. Et hæc fides non ad substantiam cœnæ

requi-

requiritur, sed ad fructum seu usum cœnæ, & monstrat finem, ad quem cœna sacra instituta est.

Quis est finis Cœnæ Dominicæ?

Ut sumptione corporis & sanguinis Christi confirmetur fides, de gratuita remissione peccatorum, & credentibus applicentur beneficia Christi corpore & sanguine ipsius parta, & ut his excitati credentes memoriam passionis & mortis Christi celebrent, pro hoc mirando Dei opere ardentes gratias agant, & in studio novæ obedientiæ gratos Deo cultus, omniaqs officia dilectionis proximo præstent. Hoc fine considerato, satis intelligitur, quid de fructibus Cœnæ Dominicæ statuendum sit.

Quotuplices sunt fructus Cœnæ Dominicæ?

Duplices: Principales, & minus Principales.

Quot sunt fructus Principales.?

Fructus

Fructus principales, qui dulcissimas consolationes adversus tentationum gravissimarum procellas, pavidis mentibus suppeditant, sunt quinque, videlicet.

1. Obsignatio promissionis gratiæ quæ fit corpore & sanguine Christi, tanquam sigillo.

2. Confirmatio fidei in sumente, cum audit corpus Christi pro se in mortem traditum, sanguinem ejus pro se effusum esse, in remissionem peccatorum.

4. Consociatio credentium cum Christo, quæ non fide tantum fit, sed etiam sacramentali perceptione corporis & sanguinis Christi, ut credentes sint membra Christi, & palmites seu surculi sanctissimæ ipsius massæ inserti, Joh. 15. v. 5.

4. Inhabitatio Christi in credentibus, quam mysticæ benedictionis virtus in ipsis efficit, ut Christus non

ſpiritualiter tantum, per fidem rectã & charitatem ſinceram, ſed etiam corporaliter, communicatione carnis ſuæ, in ipſis habitet, ſicut præclarè inquit Cyrillus, *in Iohannem cap. 15.*

5. Certa ſpes futuræ reſurrectionis & ſalutis corporum mortuorum, quę in die noviſſimo certò revictura, & cœleſtem gloriam acceptura ſunt, propter vitam ex participatione vivifici corporis & ſanguinis Chriſti in ipſis habitantem, ut Irenæus dulciſſimè confirmat, lib. 4. cap. 34.

Quot ſunt minus principales fructus?

Fructus minus principales, qui utiles commonefactiones de nova obedientia piorum continent, etiam ſunt quinque, videlicet:

1. Gratiarum actio erga Deum, promiſſo Filio, & toto opere Redemtionis, propter quam vetuſtas uſa fuit appellatione εὐχαριστίας.

2. Memoria & propagatio veræ doctrinæ

ctrinę & beneficiorum Christi, juxta Præceptum:

Hoc facite in mei commemorationem.

3. Mutua dilectio inter membra ejusdem Ecclesiæ, unde Græci scriptores cœnam Domini ἀγάπας nominarunt: & Romani Missam, quæ vox Ebræis contributionem in usum pauperum factam significat. Deut. 16.

4. Confessio doctrinæ, & nota discernens Ecclesiam ab aliis impiis sectis.

5. Conservatio publicorum conventuum in Ecclesia, quorum nervus & vinculum est publica administratio, & communis participatio corporis & sanguinis Christi. Ideo veteres orthodoxi cœnam Domini à congregatione σύναξιν nominârunt.

Qui errores de Cœna Domini damnandi & fugiendi sunt?

Primum

Primum, impii errores & tetri abusus Papistarum de magica consecratione Panis & Vini, de transsubstantiatione, de locali inclusione corporis Christi in pane, de durabili conjunctione ejusdem cum pane extra usum cœnæ, de repositione, & circumgestatione panis consecrati, de ejusdem adoratione, de sacrilega mutilatione cœnæ, de sacrificio propitiatorio Missæ, de oblatione in Missa pro vivis & mortuis, & de efficacia hujus oblationis ex opere operato.

Deinde, Profanæ & impiæ opiniones Anabaptistarum, Sacramentariorum, Zvvinglianorum & Calvinistarum.

I.

Quòd verba Christi, quibus sacram Cœnam instituit, ex oculis & ex animo removenda, & non κατὰ τὸ ῥητὸν, sed κατὰ διάνοιαν intelligenda sint.

II.

Quòd panis & vinum in Cœna sacra

tantùm

tantum sint signa professionũ externæ, aut nuda & vacua signa, repræsentantia corpus & sanguinem Christi.

III.

Quod corpus Christi certo loco cœli inclusum, tanto intervallo à Cœna absit, quanto intervallo cœlum supremum à terra distat.

IIII.

Quòd Deus ne quidem universa sua potentia efficere possit, ut corpus Christi finitum, substantia sua uno eodemq; tempore in pluribus locis sit.

V.

Quòd sola efficacia, virtus & vigor corporis & sanguinis Christi absentis, in Cœna distribuantur, & spiritualiter fide tantùm percipiantur.

VI.

Quòd ore corporis præter panem & vinum à dignis pariter & indignis nihil amplius percipiatur.

7. Quòd

VII.

Quòd præsentia corporis & sanguinis Christi in cœna (si omninò aliquam statuere cogantur) sit σχετικὴ & relativa, hoc est, imaginaria & phantastica, quam fides evolans in cœlum, & ibidem corpus & sanguinem Christi alicubi apprehendens, efficiat.

VIII.

Postremò, carnales & nimis crassæ opiniones de Capernaitica manducatione corporis & sanguinis Christi, de Cyclopica laniena corporis Christi, & de Scytica ingurgitatione sanguinis Christi, quas Zvvingliani & Calvinistæ contra propriæ conscientiæ testimonium orthodoxis Doctoribus falsò asscribere solent.

Locus XVII.

DE PRAEDESTINATIONE.

Quæ potissimum in hac doctrina discernenda sunt?

DUO: Præscientia seu prævisio Dei, & ejusdem prædestinatio seu electio.

Quæ est præscientia seu prævisio DEI?

Est actio mentis divinæ, qua DEUS omnia præsentia & futura, sive bona ea sint, sive mala, in tota rerum natura, certo præscit & prævidet, & omnes eventus futuros ita determinat, ut bonos cum sapientia & voluntate sua congruentes, non tantùm approbet, sed etiam adjuvet & promoveat: Malos vero cum sapientia & voluntate sua pugnantes, permittat, & metas illis constituat, quousq; permittere, & quomodo ad salutem electorum dirigere eos velit.

Estné præscientia seu prævisio Dei causa eventuum?

Nequaquam est causa omnium eventuum, præsertim malorum, qui oriuntur à voluntate humana, aut diabolica, & non à voluntate divina, [*ut*

Videt;

videt Deus Saulem interfecturum esse Sacerdotes 1. Sam. 22. v. 18. sed nec vult, nec approbat. Et Saul revera poterat eam cædem non facere. Ita prævidet Deus hominum scelera, & metas constituit, ne ulterius, quàm ipse vult, ruant aut grassentur mali, ut de Senacherib Deus inquit, 2. Reg. 19. v. 28. Injiciam tibi frenum. Cõplectitur igitur præscientia seu prævisio Dei, determinationem Dei, & decretum seu dispositionem Dei, de bonis actionibus jurandis, & de malis seu sceleribus hominũ reprimendis.]

Quid est prædestinatio seu electio Dei?

Est propositum voluntatis divinæ, seu decretum æternum, quo Deus ex immensa misericordia, antequam jacerentur fundamenta mundi, in Filio & propter Filium, revelatum in promissione gratiæ, ad societatem salutis, & vitæ æternæ, ex genere humano elegit omnes in Filium credentes, & in agnitione ac fide Filii perseverantes, ut sint sancti, &

irreprehensibiles coram ipso, & immensam ejus gratiam ac bonitatem in omni æternitate celebrent, Ephes 1. v. 4.

Estne prædestinatio seu electio Dei causa salutis electorum?

Omnino. Etenim salutem electorum, ad quos solos pertinet, procurat, & omnia quę ad ipsam pertinent, disponit. Et super hanc prædestinationem seu electionem Dei salus electorum ita fundata est, ut ne quidem portæ inferorum eam evertere possint, Matth. 16. v. 18. Et Paulus inquit, Rom. 8. v. 18. Certus sum, quod nihil omnino nos separare possit à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

Unde petenda est vera doctrina de Prædestinatione seu electione Dei?

Non ex Lege, neq; ex ratione humana, sed ex solo Evangelio divinitus

reve-

revelato per Filium Dei. [*Lex. n. homines ex æquo damnat propter peccatum, ad cujus agnitionem adducit, & monstrat iram Dei, qua velut fulmine percelluntur corda, ut ruant in desperationem, nisi aliunde accedat consolatio. Ratio humana fingit, Deum esse judicem politicum, qui pro suo arbitrio scribat leges fatales in cœlo, de quibusdam hominibus necessario damnandis. Evangelium vero est prædestinationis seu electionis divinæ revelatio, cum Deus in eo omne consilium suum de salute nostra, per Filium λόγον patefecerit, Act. 20. v. 27. Iohan. 1. v. 28. Ideo Paulus arcanum voluntatis divinæ in Evangelio patefactum esse docet, Rom. 16. v. 26. Ephes. 1. v. 9. & 3. v. 9. 2. Tim. 1. v. 10.*]

Quæ est sententia Evangelij de æterna prædestinatione Dei seu electione?

Sententia Evangelii de æterna Dei prædestinatione seu electione, sequentibus scripturæ dictis expressa

est. Ezech. 33. v. 11. Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat Ioh. 3. v. 16. Sic Deus Dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus Filium suum in Mundum, ut judicet Mundum, sed ut Mundus salvetur per eum. Qui credit in eum non judicatur Iohan. 5. v. 24. Amen, Amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, sed transivit ex morte in vitam Ioh. 6. v. 40. Hæc est voluntas ejus qui misit me, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in die novissimo.

Estne decretum Evangelij de salute Electorum, absolutum, an relativum?

Nequa-

Nequaquam est absolutum, sed relativum. Non enim pendet ab arcana Dei voluntate, quam Deus hominibus in hac vita ignotam esse & manere voluit: sed simpliciter pendet à voluntate Dei, revelata in Evangelio, & expresse declarata in Filio Mediatore, & Redemptore generis humani. Deinde requirit fidem in Filium Dei, & eos pronunciat esse hæredes vitæ æternæ, qui Filium Mediatorem & Redemtorem vera fide apprehendunt, & in hac fide usque ad extremum perseverant, juxta dictum Iohan. 3. v. 36. Qui credit in Filium, habet vitam æternam. Et Matt. 24. v. 13. Qui perseveraverit usque ad finem, salvus erit.

Quæ est causa prædestinationis seu electionis ad vitam æternam?

Nō alia justificationis, alia electionis causa quærenda est, sed eadem est causa electionis, quæ & justificationis.

videlicet gratuita Dei misericordia, immensa bonitas, & ineffabilis amor Dei erga miserum genus humanum, quod in universum perire noluit, cùm ad hæreditatem & peculium Filii sui conditum esset, ut Iohan. 3. v. 16. dicitur: Sic Deus dilexit mundum. Eph. 1. v. 5. Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum, secundùm beneplacitum voluntatis suæ in laudem glorioſæ gratiæ suæ.

Quo fundamento nititur prædestinatio seu electio ad vitam æternam?

Solo Filio Dei Domino nostro Iesu Christo, Mediatore & Redemptore generis humani, qui est Liber illæ vitæ, in quo omnes inscripti sunt, qui salutem æternam consecuturi sunt, *Exod. 32. v. 32. Apoc. 21. v. 26.* Ac totus numerus salvandorum in Filio Dei, & propter Filium electus est, juxta dictum, Ephes. 1. v. 4. Elegit nos in

Chri-

Christo, antequam jacerentur fundamenta Mundi. Item v. 6. Dilexit nos in Dilecto, in quo habemus redemtionem per sanguinem ejus.

Pertinétne meritum Filij Dei ad omnes homines?

Maximè. Nam Filius Dei pro totó genere humano, seu pro omnibus hominibus sine discrimine, passus & mortuus est, suoq; sanguine pro omnium hominum, etiam reproborum & sua culpa pereuntium peccatis, perfectè satisfecit, juxta dicta Iohan. 1. v. 29. Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum Mundi. 1. Iohan. 2. v. 2. Ipse est propitiatio pro nostris peccatis. Non autem pro nostris tantum, sed etiam pro totius Mundi peccatis. Ebræ. 10. v. 26. Voluntariè peccantes post acceptam agnitionem veritatis, Filium Dei pedibus conculcant, & sanguinem Testamenti, QVO SUNT

SANCTIFICATI, communem ducunt. 2. Pet. 2. v. 1. Abnegant Dominum, qui mercatus est eos.

Estné promissio gratiæ in Evangelio universalis aut particularis?

Ut prædicatio Pœnitentiæ universalis est, & omnes arguit, sicut R. 3. v. 23. clarè dicitur: Omnes peccaverunt & carent gloria Dei: Ita promissio gratiæ tradita in Evangelio, verè sine omni exceptione est universalis, pertinens ad omnes homines in toto genere humano, [*ut multa scripturæ dicta testantur: Matth. 11. v. 28. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos. Iohan. 3. v. 16. Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Esai. 53. v. 6. Omnes nos quasi oves erravimus, & posuit Dominus in eo peccata

omni-

omnium nostrorum. Roman. 2. v. 22. Iustitia Dei per fidem Iesu Christi, quæ est in omnes, & super omnes credentes. Ro. 10. v. 12. Non est discrimen Inter Iudæum & Græcum, idem Dominus *omnium, dives in omnes qui invocant eum. Omnis enim qui invocaverit nomen ejus, salvabitur, Ro. 11. v. 32. Conclusit Deus omnes sub inobedientiam, ut omnium misereatur. 1. Timoth. 2. v. 4. Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire. 2. Pet. 3. v. 9. Longanimis est Deus super nos, cùm non velit quenquam perire, sed omnes ad pœnitentiam redire.*

Quomodo promissio gratiæ in Evangelio apprehendenda est?

Vera fide, intuente Filium Dei Mediatorem, & applicante ipsius beneficia ad singulos. Hac enim fide unusquisquè seipsum in promissionem Gratiæ universalem includere, ac certo statuere debet, se in Filio, & propter Filium Mediatorem, placere

Deo, & esse electum ad vitam æternam. Ideo promissio gratiæ correlativè requirit fidem, juxta dictum Iohan. 3. v. 16. Ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

Cum certum sit, non omnes homines fide apprehendere promissionem gratiæ, fitné propterea promissio particularis?

Etsi magna pars generis humani in incredulitate perseverat, & petulanter rejicit promissionem gratiæ, & Filium Dei in ea ostensum: tamen promissio propterea non fit particularis, sed est & manet universalis, siquidem non pendet à fide hominum, sed à veritate Dei, quæ certa est & immota, ut Rom. 3. v. 34. dicitur: ipsorum incredulitas fidem Dei irritam non reddit, quin potius hoc firmum maneat, quod Deus sit verax, omnis aũt homo mendax, Ps. 116. v. 11.

Fitné propter incredulitatem hominum electio ipsa particularis?

Fit particularis electio, non Dei, sed hominum respectu. Pendet enim hæc particularitas ab hominibus, qui rejecta promissione gratiæ, contemto Filio Dei, sibimetipsis causa exitii & damnationis fiunt, ut Oseæ *13.* v. *9.* dicitur: Perditio tua ex te Israel, in me tantum auxilium tuum.

Pugnátne hæc particularitas electionis cum promissione universali?

Non pugnat cum promissione universali, sed optimè cum ea congruit, siquidem ei inclusa est & subordinata. Nam promissio suam habet restrictionem, & referenda est ad credentes in Filium Dei. Qui verò non credunt in Filium Dei, sua incredulitate semetipsos excludunt a promissione universali, & propria culpa pereunt,

reuuit, juxta graviſſimam ſententiam Iohan. 3. v. 20. Pater diligit Filium, & omnia dedit in manum ejus. Qui credit in Filium, habet vitam æternam: Qui vero non credit Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum, Iohan. 3. v. 36.

Quo ordine Deus electionem ſuam patefacit & exequitur?

Ordinem Paulus perſpicuè monſtrat, cum Rom. 8. v. 30. inquit: Quos Deus elegit, hos & vocavit: Quos vero juſtificavit, hos & glorificavit. [*Primùm enim Deus voluntatem ſuam de ſalute hominum in Evangelio patefacit, & per verbum ſonans in miniſterio omnes homines ad ſocietatem Eccleſiæ ſuæ, & beneficiorum Filii Jeſu Chriſti vocat, ut ſeriò agant pœnitentiam, & beneficia Filii ſui fide amplectantur. Deinde in iis, qui audiunt verbum, ſimul efficax eſt per Spiritum ſanctum, accendens in eis veram pœni-*

tentiam

tentiam & fidem, & donans credentibus remissionem peccatorum, justitiam & vitam æternam. Præterea fide justificatos credentes, regenerat & renovat per Spiritum sanctum, eosq; in multiplici infirmitate sua, adversus Diaboli & mundi potentiam defendit & regit, ut in fide & bona conscientia, usq; ad extremum perseverent: Tandemq; ex morte resuscitatos, ad vitam & beatitudinem æternam traducet, & in cœlesti consuetudine omnium beatorum ineffabili gloria ornabit.]

Vbi quærendi sunt Electi ad vitam æternam?

Tantum in cœtu vocatorum, qui audiunt, discunt, & profitentur Evangelium, retinent pium ac legitimum usum Sacramentorum, etsi interdum plus, interdum minus lucis habent. [*Hic visibilis cœtus est Ecclesia in qua semper necesse est esse aliquos electos, & hæredes vitæ æternæ, juxta dictum Ioh. 10. v. 27. Oves meæ vocem meam audiunt, &*

ego

ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego do eis vitam æternam. Simus igitur conjuncti cum cœtu vocatorum, nec alibi quæramus electos, cum gravissimè scriptum sit: Quos elegit, hos & vocavit. Rom. 8. v. 30.

Vnde scire possumus, nos esse electos ad vitam æternam?

Non ex arcano consilio Dei, ignoto omnibus creaturis, neque ex solis motibus spiritualibus, qui in magnis tentationibus admodum languidè sentiuntur: Sed ex voluntate Dei, revelata in Evangelio, ex pio & legitimo usu Sacramentorum, & ex testimonio Spiritus sancti in corde. [*Nam vox Evangelij omnibus & singulis, qui ad Deum convertuntur, & in Filium Iesum Christum credunt, certò promittit justitiam & vitam æternam, & accedunt Sacramenta, velut pignora & sigilla, quæ universalem promissionem Evangelij confirmant & obsignant, eamq; ad singulos piè utentes Sacramentis, pertinere testantur.*

Spiritus sanctus verò testimonium perhibet spiritui nostro, quòd simus Filii Dei, & hæredes vitæ æternæ, Rom. 8. v. 16: Vnde etiam Arrhabo hæreditatis nostræ & futuræ gloriæ nominatur 2. Cor. 1. v. 22. & 5. Ephes. 1. v. 3. & 4. v. 30.

Qui sunt effectus prædestinationis seu electionis divinæ?

Omnia beneficia, quæ per & propter Filium Dei conferuntur Ecclesiæ, videlicet, Vocatio, quæ fit per prædicationem Evangelii, conversio, justificatio, υἱοθεσία, seu jus filiorum Dei, sanctificatio, exercitium sub cruce, consolatio efficax in cruce, miranda gubernatio & defensio Ecclesiæ, liberatio eiusdem ab omnibus malis. & glorificatio in vita æterna, post universalem resurrectionem mortuorum, sicut hæc beneficia recensentur Rom. 8. Ephes. 1.

Vnde judicandum est de reprobatione damnandorum?

Non

Non ex ratione humana, neque ex arcana quadam Dei voluntate, quæ nunquam revelata est in verbo: sed ex solo Evangelio, in quo certa Dei voluntas, non solum de salute electorum, sed etiam de reprobatione damnandorum, patefacta est. Ideo Moses & Paulus revocant nos ad verbum patefactum: *Ne dicas in corde tuo: Quis ascendet in cœlum? aut quis descendet in abyssum? Prope te est verbum in ore tuo, Deut. 30. v. 11, Rom. 10. v. 6.*

Quæ est sententia Evangelii de reprobatione damnandorum?

Hæc sententia sequentibus scripturæ dictis expressa est Marc. *16.* v *16.* Qui non crediderit, condemnabitur. Ioh. *3.* v, *18.* Qui non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomen unigeniti Filii Dei. Ibidem v. *36.* Qui non credit Filio, non videbit vitam, sed ira DEI manet super eum.

Iohan-

Ioh. 8. v. 24. Si non credideritis, quod ego sum Filius Dei, à Patre missus, moriemini in peccatis vestris. 1. Corinth. 16. v. 22. Si quis non diligit Dominum Iesum Christum, anathema sit, Maranatha. 1. Ioh. 5. v. 22. Qui non habet Filium Dei, non habet vitam. Etsi autem hæ sententiæ legales nominari possunt: tamen Lex sumit declarationem suam ex Evangelio, & secundum eam damnat non credentes in Filium Dei.

Estné decretum Evangelii de reprobatione damnandorum absolutum an relativum?

Perinde ut decretum Evangelii de Electione salvandorum, non est absolutum sed relativum: Quia respicit incredulitatem hominum, & finalem contemtum Filii Dei, & omnib. non credentibus Evangelio, ac perseverantibus in Epicuræo contemtu Filii Dei, de voce Legis denunciat horrendam

rendam iram Dei, & damnationem æternam, juxta dictum Filii Dei, Iohan. 3. v. 19. Hoc est judicium, quod Lux venit in mundum, & dilexerunt homines tenebras magis, quam lucem. Et Iohan. 16. v. 9. Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quod non credunt homines in me.

Quæ igitur est caussa reprobationis damnandorum?

Non simpliciter peccatum originis, quo etiam electi contaminati sunt, nec decretum aliquod Dei occultum, quo homines absolutè æterno exitio destinentur, sed incredulitas hominum impiorum, & contemtus Filii Dei, quod prorsus non audiunt nec accipiunt Evangelium, aut beneficia Filii Dei furenter aspernantur, aut abijciunt fidem prius, quàm ex hac vita discedunt. [*In his certum est, causam reprobationis ac damnationis æternæ, esse perversam ipsorum voluntatẽ,*

&

& peccatum omnium summum, nullaq; satisfactione piandum, quod est, non credere in Filium Dei, juxta sententiam definitivam, Ioh. 3. v. 18. supra recitatam: Qui non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomen unigeniti Filij Dei. Ac utraq; manu retinenda est hæc verissima sententia, quòd Deus non sit caussa peccati, aut interitus hominum, ut Psal. 5. v. 5. dicitur: Non Deus volens iniquitatem tu es. Et in juramento divino, Ezech. 33. v. 11. Vivo ego, nolo mortem peccatoris. Et Christus diserte inquit, Matth. 25. v. 41. Ignem æternum non hominibus, sed Diabolo & Angelis ejus paratum esse.]

Atqui in Mose scriptum est Exod. 4. v. 21. & 7. v. 3. &c. Deum induraſſe cor Pharaonis?

Quod Deus cor Pharaonis indura vit, ut Pharao subinde peccando pergeret, & quo gravius admoneretur eò magis ipse indurare tur: Id pœna fuit antecedentium ipsius peccato-

rum,

rum, & immaniſsimæ & multiplicis tyrannidis, quam in filios Iſrael, contra conſcientiæ ſuæ ſtimulos exercuerat. Et cum Dominus ipſi verbum & voluntatem ſuam annunciari curaret: Pharao vero nihilominus ex propoſito & deſtinata malitia ſimpliciter adverſus omnes exhortationes & admonitiones contumaciter inſurgeret, Dominus manum ab eo ſuam retraxit, eum deſeruit, atque ita cor ipſius induratum eſt, unde Dominus poſtea juſtum judicium ſuum adverſus eum executus eſt.

Quis eſt uſus hujus loci de prædeſtinatione?

Hic locus juxta analogiam fidei explicatus, plurimum ad doctrinam & conſolationem piorum prodeſt, ideoq; ſcriptura ſacra non obiter hujus mentionem facit, ſed eundem multis in locis diligenter & copioſe tradit & explicat.

Quo-

Quomodo prodest ad doctrinam piorum ?

Primùm, viribus humanis omnem vim & efficaciam in rebus spiritualib. detrahit, cùm Deus in suo consilio ante mundi creationem omnia ordinarit, & per Spiritum sanctum operetur atque efficiat, quæ ad regenerationem & conversionem nostram pertinent.

Deinde articulum Justificationis egregiè confirmat, quod gratis ex immensa misericordia Dei, sine meritis operum nostrorum, consequamur remissionem peccatorum, justitiam, & vitam æternam.

Tertiò, illustrat & amplificat meritum ac beneficia Filii Dei, cùm docet, omnes salvandos in Filio Dei, & propter ipsius obedientiam, quam fide apprehendunt, electos esse ad vitam & salutem æternam.

Quarto, commendat doctrinam Evangelii, & legitimum usum Sacramentorum, tanquam organa & media divinitùs ordinata, per quæ electionis beneficium nobis non tantùm revelatur, sed etiam confirmatur & obsignatur.

Quinto, multas gravissimas commonefactiones tradit, quibus pii ad studium verbi divini, ad frequentem usum Sacramentorum, ad exercitia pœnitentiæ, ad sanctitatem vitæ & novam obedientiam excitantur.

Quomodo prodest ad consolationem piorum?

Quia octo firmissimas & efficacissimas consolationes suppeditat, quibus animi piorum adversus gravissimas tentationes muniuntur.

1. Harum prima est, paterna solicitudo, & ingens cura Dei de nostra salute adversus dubitationes de providentia, siquidem ante jacta

deliberavit & ordinavit Deus, quomodo nos ad salutem vocare & in ea conservare velit.

2. Secunda est gratuita Dei misericordia in Filio promissa, adversus immundiciem & indignitatem nostram.

3. Tertia est universalitas promissionis gratiæ, opposita tentationi de particularitate.

4. Quarta est certitudo & firmitas nostræ salutis, opposita nostræ imbecillitati, siquidem Deus salutem nostram in æterno suo consilio fundavit, & in omnipotenti manu Filii sui Domini nostri Iesu Christi (ex qua nemo nos eripere potest) collocavit, ut neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; præsentia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profunditas, neq; alia quæcunq; creatura nos separare possit à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro, Rom. 8. v. 38.

5. Quinta est præsentia Dei & vivifica consolatio Spiritus sancti in ærumnis, opposita scandalo crucis & calamitatum.

6. Sexta est firmitas electionis divinæ & conservatio piorum in curriculo pietatis, opposita dubitationi de perseverentia. Fundamentum enim Dei firmum stat, habens signaculum hoc: *Novit Dominus qui sint sui, 2. Tim. 2. v. 19. Et qui cœpit in nobis opus bonum, perficiet illud usque in diem Iesu Christi, Phil. 1. v. 6.*

7. Septima stabilitas Ecclesiæ, & eiusdem defensio atq; conservatio adversus portas inferorum, oppositæ furoribus diaboli & mundi, Matth. 16. v. 18.

8. Octava est certa spes resurrectionis & glorificationis corporum nostrorum, opposita terroribus mortis, & miserabili corruptioni corporum in visceribus terræ Iob. 19. v. 29.

Scio

Scio, quod Redemptor meus vivit, & in novissimis de terra resurrecturus sum, & rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum.

Qui errores de prædestinatione seu electione Dei fugiendi & damnandi sunt?

Primum Epicuræorum, qui negant providentiam, & sentiunt homines non curari à Deo.

Deinde Stoicorum, qui fingunt Deum sedere in cœlo, & scribere Leges fatales, quasi in tabulis Parcarum, secundum quas velit distribuere virtutes & vitia. Imò cogitant, fatali motu impelli homines ad scelera, quibus sibi & aliis exitium accersunt.

Tertio, Pelagianorum, qui causam Electionis divinæ ponunt in dignitate operum, quæ à viribus humanis præstantur.

Quarto, Zwinglianorum, Calvinistarum & similium fanaticorum, qui meritum Filii Dei, promissiones Evangelii, & ministerium verbi & Sacramentorum, labefactant & evertunt, & homines vel ad desperationem, vel ad Epicuream profanitatem adducunt, dum has impias & blasphemas opiniones defendunt:

I.

Quòd Deus absoluto & occulto decreto suo quosdam homines, adeoq; maximam multitudinem generis humani, absq; omni indignitatis respectu, mero voluntatis suæ beneplacito, ad æternam damnationem destinârit.

II.

Quòd hoc modo ad æternam damnationem destinatos, converti & salvari nolit, cum eos nunquam dilexerit, sed absoluto quodam odio eos rejecerit, & à gratia sua excluserit.

III.

III.

Quod primos parentes oportuerit labi, Deo non invito nec ignorante, nec otiosè præsciente, aut permittente, sed volente Deo, & justè decernente ac ordinante.

IIII.

Quòd Filius Dei absoluto & arcano decreto Dei, non pro totius Mundi peccatis, sed tantùm pro peccatis electorum, passus & mortuus sit.

V.

Quod meritum Passionis & mortis Filij Dei non pertineat ad omnes homines, sed tantùm ad electos, quos Deus peculiari, eaq; arcana & absoluta sua voluntate, beneficiorum Filij participes fieri voluit.

VI.

Quòd promissiones Evangelij non sint universales, sed particulares, & ad solos electos, non autem ad reprobos pertineant.

VII.

Quod Deus reprobos per Evangelium non vocet, aut non serio vocet, & pervocati-

onem eorum non sit efficax, ut necessariò non solùm in incredulitate perseverent, sed etiam damnentur.

VIII.

Quòd reprobi neq; velint, neq; possint converti eò, quòd occulto Dei judicio in impœnitentia sua iustè relicti sint.

IX.

Quòd electi ruentes in peccata contra conscientiam, retineant gratiam, Spiritum sanctum & fidem.

X.

Quòd deniq; de prædestinatione & electione Dei judicandum sit, tantùm ex effectis ejusdem, & ex motibus Spiritus sancti, non ex verbo revelato, & ex Sacramentis.

Locus. XVIII.

DE CRUCE ET DE veris consolationibus opponendis Scandalo Crucis.

Quæ est causa omnium miseriarum & mortis in toto genere humano?

Prima

PRima & universalis causa est lapsus primorum parentum, & peccatum hærens in natura, juxta dictum, Roma. 5. v. 12. Per peccatum mors intravit in Mundum.

Deindè accedunt in tali vitiosa natura errores multiplices in mente, & in voluntate scelera sponte electa, quæ singulares pœnas attrahunt, ut Psal. 39. v. 12. dicitur. Castigas hominem propter iniquitatem, & tabescere facis sicut tineam, pulchritudinem ejus.

Tertio, ad nostros errores & pravas cupiditates accedit diabolus, spiritus inimicus Deo, qui odio Dei impellit homines ad horribilia scelera, & auget calamitates variis modis, juxta dicta: Ponam inimicitias inter semen Mulieris & serpentem, Gen. 3. v. 27. Item Satanas intravit in eum, Ioh. 12. v. 27. Et Cain occidit fratrem suum impulsus à Diabolo Genes. 4. v. 8.

Quæ sunt causæ, propter quas Ecclesia ingentibus miseriis in hac vita subjecta est?

Causæ præcipuæ sunt octo:

Prima causa est peccatum hærens in natura, quod cum cótemnat Mundus, vult Deus in Ecclesia conspici iram suam adversus interiora & exteriora peccata, & ut eam agnoscamus & nos subjiciamus judicio suo, commonefacit nos variis modis, juxta dictum: Filium, quem diligit, corripit, Prov. 3. v. 12. Item: Innocens coram te, non erit innocens Exod. 34. v. 7.

Secunda causa est diabolus, qui magis odit Ecclesiam, quàm reliquam partem generis humani, ut Genes. 3. v. 15. dicitur: *Ponam inimicitias inter semen mulieris & serpentem.* Item in Iob. *Diabolus stetit inter filios Dei, & insidiatur sanctis*, Iob. 1. v. 9. & 2. v. 1.

Tertia,

Tertia, ut in cruce exerceantur & crescant pœnitentia, fides, invocatio, & tota novitas, juxta dictum, Psa. 119. v. 71, *Bonum mihi Domine, quòd humiliasti me, ut discerem justificationes tuas.* Item: *Vexatio dat intellectũ*, Esa. 28. v. 19.

Quarta, etiam in sanctis hærent multa interiora mala, & plurima sunt in Ecclesia etiam actualia delicta atrocia, ut Davidis adulterium, scelera Manassæ, quæ punit Deus propter suam justitiam, & propter exemplum & ut multos ad pœnitentiam revocet. Ideo clamat Propheta Mich. 7. v. 9. *Iram Domini portabo, quia peccavi ei.* Item: *Tibi Domine justitia, nobis autem confusio, facies* Dan. 9. v. 7.

Quinta, ut sanctorum miseria & mors sit testimonium de secuturo judicio & vita æterna. [*Quia cum Deus antea testatus sit, sibi placere Paulum, non negligeretur in tantis miseriis, & in media morte, nisi restaret aliud judicium*

in quo ostendet, damnari Neronem. Ideo Petrus inquit 1. Epist. 4. v. 17. Iudicium à domo Dei incipit: Et si judicium à nobis incipit, quis erit finis eorum, qui non obtemperant Evangelio Dei?]

Sexta, ut miseria & mors sanctorum sit testimonium de doctrina, quod serio sentiant, doctrinam Evangelii veram esse, nec sui commodi causa circumferant fictam doctrinam cum omnes miserias perpeti, & mortem ipsam sustinere malunt, quàm professionem Evangelii abiicere, ut Psal. 44. v. 22. fatentur sancti: *Propter te occidimur tota die, judicati sumus velut oves occisionis. Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus tui.*

Septima, Ut efficiamur similes imaginii Filii Dei, ut Rom 8, v. 29. dicitur. Et ipse Filius Dei inquit: *Non est discipulus major magistro suo. Ioh, 15. v. 29*

Octava, Ut liberationes in calamitatibus, quæ non sunt extricabiles

huma

humano consilio, sunt testimonia præsentiæ Dei in Ecclesia, & manifestè appareat, Ecclesiam non humanis consiliis & præsidiis, sed ab ipso Filio Dei ejus Capite, & Duce, divina potentia colligi, defendi & servari, ut precatur Moses Num. *14. v. 13. Ne deleas nos, ut sciant Aegyptii, quòd tu sis in hoc populo.* Et Paulus 2. Corint. 4. v. 7. inquit. *Circumferimus thesaurum in vasis testaceis, ut excellentia potentiæ sit Dei, & non ex nobis.*

Quot sunt genera calamitatum & afflictionum in Ecclesia?

Quatuor. Primum sunt πμωρίαι, seu pœnæ certorum delictorum, ut exilium Davidis.

Secundum, sunt δοκιμασίαι, seu probationes fidei, & exercitia invocationis in hominibus sanctis, ut carcer Ioseph, calamitates Iob.

Tertium, sunt μαρτύρια, seu suppli-

cia sanctorum, testificantia de ipsorum doctrina & confessione, ut mors Abel, supplicia Ieremiæ, Pauli, & aliorum, qui in confessione veritatis interfecti sunt.

Quartum est λύτρον, seu satisfactio pro nostris peccatis, qualis est solius Filii Dei obedientia in omnibus ipsius afflictionibus & morte, præstita pro nobis, cum ira æterni Patris adversus peccata nostra in ipsum derivata esset.

Quomodo nos gerere debemus in cruce & afflictionibus?

Primum omnium agnoscamus peccata nostra & iram Dei, quam peccatis nostris provocavimus, & clamemus cum Propheta: *Tibi Domine justitia, nobis autem confusio faciei, Dan. 9. v. 7.*

Deinde confugiamus ad misericordiam Dei, in Filio Mediatore promissam, & propter hunc peccata nobis

remitti,

remitti, & ærumnas leniri petamus, ut David orat, Psal. 6. v. 5. *Salvum me fac propter misericordiam tuam.*

Tertiò, firmas consolationes ex promissionibus divinis arripiamus, & his ipsis animum erigamus, ne frangamur acerbitate dolorum, & fremamus adversus Deum. *Nisi lex tua fuisset consolatio mea, tunc periissem in afflictione mea,* inquit David, Psal. 119. v. 27.

Deniq; patienter nos subjiciamus voluntati divinæ, & insilentio ac spe firmiter expectemus liberationem, aut mitigationem, juxta consilium Dei, ut Psal. 27. v. 27. dicitur. *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & expecta Dominum. Item: Commenda Domino viam tuam, & spera in eum, & ipse faciet, Psal. 37 v. 5.*

Qui sunt loci verarum consolationum, quas suppeditat verbum

DEI?

Loci præcipui sunt decem: Primus, Providentia Dei, quod non casu affligamur, sed sciente & permittente Deo, ut Matth. 10. v. 30. dicitur: *Omnes capilli capitis vestri numerati sunt, & nullus ex eis cadit in terram, sine voluntate Patris vestri cœlestis. Item: in ipso vivimus, movemur & sumus*, Act. 17. v. 28.

Secundus: Causa finalis, quod Deus puniat, aut exerceat, non ut perdat nos, sed ut nos retrahat ad pœnitentiam, aut excitet nos, ut crescant in nobis timor Dei, invocatio, & cæteræ virtutes, juxta vocem juramenti Ezech. 33. v. 11. *Vivo ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat.* Et 1. Cor. 11. v. 32. Paul. inquit: *Dum judicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.*

Tertius: Mandatum Dei, quod præcipit, ut flectamus animos ad obedientiam in tolerandis adversis, nec

iraſcamur Deo, juxta dictum: *Humiliamini ſub potenti manu Dei, 1. Pet. 5. v. 6. Item, Subditus eſto Deo, & ora eum, Pſal. 37. v. 7.*

Quartus: Bona conſcientia, ut Laurentio fit levis cruciatus, propter optimã conſcientiã. Et Paulus inquit 2. Cor. 1. v. 12. *Hæc eſt gloriatio noſtra, (in afflictionib.) teſtimoniũ conſcientiæ noſtræ.*

Quintus: Gratuita remiſſio peccatorum, opponenda doloribus, ortis à mala conſcientia, quod certo remittantur peccata agentibus pœnitentiam, & fide confugientibus ad Filium Dei Mediatorem, etiamſi multis modis ſauciam conſcientiam circumferant juxta dictum *Gratia exuberat ſupra peccatum, Rom. 5. v. 20.* David non frangitur ingentibus calamitatibus, etiamſi habet triſtiſſima vulnera conſcientiæ, ſed jam tenet remedia, quia ſcit dictum eſſe, *Dominus abſtulit peccatum tuum, 2. Sa. 12. v. 13,*

Sextus

Sextus: Agnitio præsentiæ Dei in ærumnis, accepta remissione, & promissio auxilii, mitigationis & liberationis in hac vita, ut Esa. 57. v. 5. dicitur: *Deus habitat in afflictis.* Et Psal. 91. v. 15. Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Longitudine dierum implebo eum, & ostendam illi salutare meum.

Septimus: Brevitas afflictionum vitæ præsentis, & spes ultimæ liberationis, ac gloriæ futuræ in vita æterna, Psal. 30. v. 6. Momentum ira ejus, quia vita delectatur, vesperi durabit flet., & manè lætitia. Rom. 8. v. 18. Existimo afflictiones præsentis temporis non comparandas esse ad gloriam futuram, quæ revelabitur in nobis.

Octavus: Exempla legalia & Evangelica. Legale est, cùm patiantur alii propter peccata, ut Adam, Eva, David, Manasse, & alii plurimi, quorum

cala-

calamitates & ærumnæ sunt commonefactiones de justitia Dei; fateamur, nos quoque justitiæ Dei pœnas debere, juxta dictum, Dan. 9. v. 7. Tibi Domine justitia, nobis autem confusio faciei.

Evangelicum est, quod oporteat nos fieri conformes Filio Dei, in cruce & liberatione. Ideo tota Ecclesia cruci subjecta est, & expectat secuturam vitam & lætitiam æternam, sicut Filius liberatus est, juxta dictum: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum à constitutione mundi vobis paratum*, Matth. 25. v. 34.

Nonus: Collatio eventuum in Ecclesia, in qua ostendit Deus, & testimonia justitiæ suæ, quod irascatur peccatis, & exempla misericordiæ, quod pœnas mitiget [*Agnoscamus igitur, nos justè puniri, & meritos esse atrociores pœnas; leniri tamen iram propter Mediatorem, & ne tota Ecclesia funditùs*

delea-

deleatur. Quare obediamus in præsentibus pœnis, & petamus, atq; expectemus mitigationem, sicut in Prophetis dicitur: In ira misericordiæ recordaris, Abac. 3. v. 2. Item: Bonus est dominus, & pœniter eum magnitudinis pœnarum, Ioel. 2. v. 13.]

Decimus. Desiderium clari conspectus Dei & liberationis à toto peccato. Hæc consolatio proprie ad mortem pertinet, de qua dicit Paulus. *Cupio dissolvi, & esse cum Christo, Phi. 1. v. 23.*

Quis est effectus harum consolationum?

Tranquillitas cordis acquiescentis in Deo, & patientia Christiana, quæ est obedire Deo in sustinendis ærumnis, ita, ne vel à Deo deficiamus, vel ei irascamur, vel contra alia præcepta Dei faciamus, sed moderemur animi dolorem, & auxilium & mitigationem à Deo expectemus.

Qui errores de cruce damnandi & fugiendi sunt?

Pri-

Primum eorum, qui in ſtudio pietatis ſibi bene eſſe cupiunt, & vitam Chriſtianam ſuave otium eſſe imaginantur, ſeparatum ab omnibus calamitatibus.

Deinde Epicuræorum, & impiorum hominum, qui vel caſu homines affligi ſentiunt, vel ærumnas & calamitates piorum, principaliter à diabolo, & hominum malorum ſævitia oriri ſtatuunt.

Tertio Hypocritarum, qui laceratione corporis, vel aliis modis ſibi accerſerunt calamitates, cum opinione cultus divini, & ſatisfactionis pro peccatis, ut ſacerdotes Baal fodiebant ſua corpora *1. Reg, 18. v. 28.*

Locus XIX.

DE INVOCATIONE ET GRATIARVM actione.

Quid

Quid est invocatio seu adoratio?

EST aut petere à Deo propter Mediatorem bona necessaria, aut pro beneficiis acceptis Deo aut Mediatori gratias agere, cum celebratione laudum divinarum, ut Psal. 51. v. 15. dicitur: *Invoca me in die tribulationis, eripiam te, & glorificabis me.*

Quid interest inter veram & falsam invocationem?

Vera invocatio, quam facit Ecclesia Dei, intuetur essentiam Dei & voluntatem ejus, patefactam in promissione, & Filio Mediatore. Est enim directa ad hunc verum Deum, qui se patefecit misso Filio, æternum Patrem, Filium, & S. S. & agnoscit Mediatorem Filium, & scit Deum velle invocari, & exaudire fiducia solius Filii Mediatoris. Falsa autem invocatio, qualis est Ethnica, Mahometica, Turcica, & Iudaica, prorsus ignorat Essentiam & voluntatem Dei. Negat enim

hunc

hunc esse Deum, qui se patefecit misso Filio, & alloquitur Numen quoddam commentitium, quod non est verus & patefactus Deus. Semper etiam dubitat, an & quare Deus velit exaudire preces, ideoque inane murmur est, contumelia afficiens verum Deum, ut Psal. 109. v. 7. dicitur: oratio impii est peccatum.

Quæ sunt necessaria ad veram invocationem?

In omni vera invocatione præcipue sex capita necessaria sunt:

1. Primum, cogitatio de Deo, quem invocemus.
2. Secundum, Agnitio Mediatoris.
3. Tertium, consideratio præcepti divini.
4. Quartum, Consideratio promissionis divinæ.
5. Quintum, Fides intuens promissionem.

6. Sex

6. Sextum, Res petendæ, quæ expresse nominari debent.

Quem Deum invocare debemus?

Verum Deum, qui se patefecit missso Filio, Domino nostro Iesu Christo crucifixo & resuscitato, quod sit unus Deus in tribus personis, Pater, Filius, & Spiritus S. ut Deut. *6. v. 13.* Et Matt. *4.* præcipitur: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* [*Ac semper conversa sit mens & cogitatio piorum ad Iordanem, ubi illustri testimonio patefacta est divinitas, Matth. 3. v. 16. Et quidem nominentur personæ divinitatis initio precationis, & cogitetur, quæ cujusq; sit proprietas, ut verus Deus ab omnibus creaturis, & vera invocatio ab Ethnica invocatione discernatur.*]

Quem Mediatorem in invocatione intueri debemus?

Solum Dei & Mariæ Filium, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis & resuscitatum,

juxta

juxta dictum. 1. Tim. 2:v 5. Unus est Deus, unus Mediator Dei & hominum: Homo Christus Iesus. [*Hic integra sua obedientia non solùm placavit nobis Patrem, sed etiam aditum ad Patrem nobis aperuit, ut Paulus Ephes. 3. v. 22. testatur. Per hunc audemus accedere, cum fiducia per fidem in ipsum. Cumq; sit æternus Pontifex & summus Sacerdos Ecclesiæ assiduè precatur pro nobis, & preces nostras perfert in arcanum consilium divinitatis, suaq; intercessione ac deprecatione movet æternum Patrem, ut preces nostras exaudiat, Iohan. 17. v. 17. Ebræ. 7. v. 27. Hoc unico Mediatore utendum est in invocatione, & hujus solius fiducia ad Deum accedere oportet omnes qui gratiam consequi, & bona animæ & corporis necessaria impetrare volunt, sicut ipse inquit, Ioh. 14. v. 8. Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Et Ioh. 16. v. 23. hanc dulcissimam promissionem tradit: Amen, Amen dico vobis, quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

Estné

Estné Christus Mediator noster invocandus secundum carnem, seu naturam humanam?

Omninò. Non enim in invocatione divellendæ sunt duæ naturæ in Christo hypostatice unitæ, sed cùm utraq; religiosæ adorationis objectũ sit, etiam ad utramq; simul invocatio dirigenda, & caro seu natura humana assumta, una λατρείᾳ cum divina natura, adoranda & invocanda est, ut de Christo homine Psal. 97. v. 8. Ebræ 1. v. 6 dicitur: Adorabunt eum omnes Angeli. Et Paulus Phil. 2. v. 9. Christo, in tempore, secundum naturam assumtam, ex gratia, nomen super omne nomen datum esse testatur, ut in nomine Iesu omne genu cœlestium, & terrestrium & inferorum flectatur. Ac nota sunt exempla Pastorum Bethlehemiticorum, Luc. 2. v. 16. Magorum, Matth. 2. v. 11. Discipulorum, Matth. 14. v. 33

Lucæ

Lucæ 24. v. 52. Thómæ. Ioha. 20. v. 28. Stephani, Act. 7. v. 9. &c. qui Christum verum hominem, in carne, & secundum carnem religiosè adorarunt.

Vbi extat præceptum Dei de invocatione?

Psal. 50. v. 15. Invoca me in die tribulationis. Math. 7. v. 7. Petite & dabitur vobis. [*Cogitandum est, Deum velle coli petitione gratiæ & aliorum donorum, ut discernatur à malis naturis, & tribuatur ei hic honos, quòd sit sapiens, bonus, beneficus, dator vitæ, sapientiæ, & aliorum bonorum, & quòd velit bona sua nobis communicare. Actu violatio præcepti:* Non occides, *displiceret Deo sic displicet & violatio secundi præcepti, neglectio invocationis; ùm dictum sit: Petite, & accipietis, Iohan. 16. ver. 23.*

Quis est ordo promissionum divinarum?

Prima & summa promissio est, promissio gratiæ & vitæ æternæ propter Mediatorem dandæ gratis. Hoc summum bonum est, quod vult Deus accipi, etiam omnibus bonis corporalibus amissis, juxta dictum Iob: *Etiamsi occidet me, sperabo in eum.* Iob. 13. v. 15. [*Nec peti alia bona possunt, nisi præluente promissione gratiæ, quia semper oppugnat conscientiam hæc sententia: Peccatores Deus non exaudit. Iohan. 9. v. 31. Quare in omni invocatione initio cogitandum est de promissione gratiæ, & de remissione peccatorum, promissa agentibus pœnitentiam propter Filium Dei Mediatorē.*] Aliæ sunt promissiones de bonis corporalibus in hac vita, quæ simul intuendæ sunt, postquam de gratia & reconciliatione certi sumus. Quia enim Deus in hac vita colligit Ecclesiam voce Evangelii, & non aliter, tribuit etiam aliqua vitæ spatia, & conservat Politias OEconomias, juxta dictum: Non

mortui laudabunt te Domine, Psal. 113. v. 17.

Vbi extant promissiones divinæ de exaudi-tione precum?

Matth. 7. v. 7. Petite, & dabitur vobis. Quærite, & invenietis. Pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit, invenit, & pulsanti aperietur. Ioh. 16. v. 23. Amen Amen dico vobis, quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Psalm, 145. v. 18. Prope est Dominus invocantibus eum, invocantibus in veritate. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet. Esa. 56. v. 24. Antequam clamabunt, ego exaudiam, Adhuc loquentibus ipsis, Ego audiam.

Quomodo apprehendendæ sunt promissiones divinæ?

Vera fide, quæ primum omnium accipit remissionem peccatorum, & statuit nos placere Deo propter Filiũ

Dei Mediatorem. Deinde nominatim expectat, aut liberationem, aut mitigationem, juxta consilium Dei.

Quomodo fides petit bona spiritualia?

Fides, quæ petit remissionem, reconciliationem, vitam æternam, & gubernationem animæ, hæc ipsa bona petere & expectare debet sine omni conditione. [*Quia Deus, vult hæc nominatim peti, & non habere hæc bona est, manere hostem Dei, & contumelia Deum afficere. Ideo firmiter credendum est juramento divino: Vivo ego nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat, Ezech. 33. v. 11.*]

Quomodo fides petit bona corporalia:

Fides quæ petit bona corporalia, ut David petens se reduci in regnum, 2. Sam. 15. v. 25. petit cum conditione *Si Deo placet*. Quia utrumq; sciendum est, & petenda esse hæc bona: Et ta-

men

men Ecclesiam subiectam esse cruci, & debere obedientiam Deo, quomodocunq; eam exerceat, juxta dictum: *Humiliamini sub potenti manu Dei*, 1. Pet. 5. v 6.

Quare bona corporalia petenda sunt cum conditione?

Quia promissiones bonorum corporalium intelligendæ sunt cum exceptione crucis, & justę castigationis, ut Marc. 10. v. 30. dicitur: *Accipiet centuplum in hac vita, sed cum persecutionibus* Item: *Castigabo te in judicio, ne tibi innocens videar*ŭ, Ierem. 30. v. 11. & 46. v. 28.

Estnè irrita precatio quæ fit cum conditione?

Nequaquam est irrita. Aut enim tollitur pœna, aut mitigatur, ut Iob, David, Manasses, restituuntur in sua regna, Amasiæ & Osiæ mitigatæ sunt pœnæ, sicut plerumq; fit, juxta dictŭ. *Non faciam furorem iræ meæ Ose. 11. v. 9.* [Denig, necesse est firmissimè hanc regu-

lam tenere; etiam amißis omnibus bonis corporalibus, & cum vita corporis certò amittenda est: Tamen retinenta est promißio gratiæ & vitæ æternæ, juxta hæc dicta in Iobo: Etiamsi occidet me, sperabo in eum. cap. 13. v. 15. Credo, quod Redemptor meus vivit, capite. 19.]

Suntnè res certæ nominandæ in precatione?

Omninò. Quia precatio debet esse petitio certi beneficij, ut agnoscamus, Deum non solum sibi bonum, sed etiam erga nos beneficum esse. Hanc laudem postulat sibi tribui. Ideo Christus formam precandi discipulis proponit, Mat. *6.* v. *9.* ut verba & recitationem certam præscribat, sicut antea præscripserat Iohannes, & nominatim inquit: Luc. *11.* v. 2. Cum oraris, dicite: &c.

Quæ res petendæ à Deo?

Non sunt petendæ res prohibitæ à Deo, sed quarum petitio congruit

cum

cum Decalogo, & promissionibus divinis, de bonis spiritualibus & corporalibus. Ideo inquit Iohannes: *Quicquid petieritis secundum voluntatem ejus, dabit vobis, 1. Iohan. 5. v. 14.* Et quidem res petendas optimo ordine complexus est Christus in oratione Dominica, quam quotidie recitare debemus.

Quæ circumstantiæ potissimum exercent fidem in invocatione?

Duæ: Tempus seu mora auxilii, & modus liberationis Non enim Deus dat eventus mox, & iis modis, quos humana ratio cogitat, sed sæpenumero differt auxilium, & aliter auxilium præstat, quàm nos in hac imbecillitate nostra vel cogitamus, vel optamus. [*Exercet enim nos, ut fide ab ipso pendeamus, & non regamur nostris opinionibus; Ideo Psa. 4. v. 4. dicitur: Mirificat Deus sanctum suum. Et Ephes. 3. versu 20.*

Deus facere potest supra quam petimus, aut intelligimus]

Quid igitur faciendum est, cùm mora & modus liberationis fidem exercent?

Nequaquam Deo tempus & modum præscribere, sed hæc ipsius consilio prorsus commendare debemus, ut David facit Psa. 42. v. 6. Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me? Spera in Deum, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, & DEUS meus. [*Ignorantes igitur tempus & modum, oculis nostris non res & eventus, sed* DEUM *intueamur & ab ipso eventus placidos petamus, sicut 2. Par. 20. v. 12. dicitur: Cùm ignoramus quid agendum sit, hoc solum nobis restat, ut oculos nostros ad te Deus noster dirigamus. Ac firmiter tenenda est regula de circumstantijs, Abac. 2. v. 3. Si moram fecerit Dominus, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.*

Et Luc.

Et Luc. 18. v. 1. Oportet semper orare, & non languescere.]

Quæ est efficacia piæ & ardentis invocationis?

Efficacia hæc est, Quod omnis pia & ardens invocatio, cum sit cultus Deo gratissimus, benigne exauditur à Deo & certo impetrat beneficia spiritualia & corporalia, privatim & publicè necessaria, juxta promissionem Psal. *145.* v. *18. Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & salvos faciet eos. Iacob. 5. v. 6. Multum valet precatio justi ardens, ut Eliæ exemplum 1. Reg. 17. v. 1. confirmat.*

Quid est Gratiarum actio?

In genere est professio, unde sit acceptum beneficium, & est obligare se ad mutua officia. [*Nam gratitudo est virtus composita ex duabus summis virtutibus, videlicet, ex Veritate & justitia.*

Veritas profitetur, unde sit acceptum beneficium. Iustitia præstat mutua officia. Ergo ingratus & mendax & iniustus est.

Quid est gratiarum actio erga Deum?

Est veritas, quæ profitetur accepta esse à Deo beneficia, & verè esse Deum omnipotentem, præsentem & opitulatorem, & est opus justiciæ, qua nos ad officia Deo grata obligamus. Cum igitur mendacium & injustitia sint horribilia peccata, manifestum est, ingratitudinem erga Deum horrendum scelus esse.

Vbi extat præceptum de gratiarum actione erga Deum?

Psal. 50. v. 15. *Invoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me.* Cumq; gratiarum actio sit necessarius cultus, & sacrificium Deo placens, plerumq; præcepta conjuncta sunt de petitione & gratiarum actio-

ne,

ne, quia utraq; necessaria est ad agnitionem Dei. Ita Paulus conjungit 1. Thes. 5. v. 16: *Semper gaudete, indesinenter orate, in ommibus gratias agite*, 1. Thim. 2. v. 1.

Solâne mente & voce gratiarum actio erga Deum fieri debet?

Cùm gratiarum actio erga Deum etiam studium novæ obedientiæ complectatur, non solum mente & voce fieri, sed etiam in moribus vitæ lucere, & piis officiis juxta utramque Tabulam Decalogi declarari debet, juxta dictum, Psalm. 50. *Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua.*

Cur necessaria est gratiarum actio erga Deum?

Propter duas præcipue causas, Ut primùm nos ipsos admoneamus, non casu nobis offerri bona, sed verè nos Deo curæ esse, exaudiri nostras preces, & nos juvari à Deo.

Deinde, ut nostra confessio apud alios homines sit testimonium de providentia, confirmans alios, ut verè credant, Deo curæ esse res humanas & serio invitentur ad agnitionem & celebrationem Dei. Ideo Paulus dulcissimè hortatur, ut multi pro ipso orent, quo plures postea pro accepto beneficio gratias agant, 2. Cor. 1. v. 11.

Qui errores de invocatione & gratiarum actione damnandi & fugiendi sunt?

Primùm Ethnicorum, qui innumerabiles Deos fingunt, ad quos in periculis confugiunt, & singulis vitæ casibus peculiaria numina tutelaria attribuunt.

Deinde Epicuræorum & Stoicorum, qui negligunt invocationem & gratiarum actionem, cum vel casu offerri bona, vel Deum ad causas secundas alligatum esse sentiant.

Tertio,

Tertio, Idololatrarum in regno Pontificio, qui homines mortuos invocant, & neglecto unico mediatore Christo, alios intercessores & opitulatores sibi fingunt & eligunt ex numero sanctorum, qui ex hac vita discesserunt.

Quartô, Hypocritarum, qui inter precandum inanes βαττολογίας instituunt. & se propter multiloquium suum exauditum iri opinantur, cum gravissimè dictum sit: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate, Iohan. 4. 13.*

Quinto, Calvinistarum, & aliorum fanaticorum, qui negant carnem Christi seu naturam ejus humanam, veræ ac religiosæ adorationis objectum esse, ideoque impium, blasphemum & idololatricum esse contendunt, si quis Christum secundum carnem, seu secundum humanam ejus naturam, adorare velit.

Locus. XX.
DE LIBERTATE CHRISTIANA.

Quotuplex est Libertas?

Duplex: Civilis & Spiritualis.

Quid est Libertas civilis?

Libertas civilis, non est infinita licentia faciendi quodlibet, nec immunitas ab oneribus civilibus, aut legibus & obedientia Magistratuum politicorum; sed facultas corporalis, ordinata legibus honestè transferendi corpus, & eligendi honestas operas corporis, pro arbitrio habendi res proprias, & disponendi de eis pro arbitrio, denique vivendi juxta Leges honestas sub certo Magistratu, qui legitimam defensionem præstat, ut libera facultas legibus concessa, sine impedimento retineatur & exerceatur. [*De hac libertate venustè dixit*

Lucius

Lucius Crassus: Legum servi sumus, ut liberi esse possimus.]

Quid est Libertas spiritualis?

Libertas spiritualis est ingens & immensum beneficium Filii Dei, quod verè credentes, per & propter ipsum liberi sunt à servitute peccati, à tyrannide Diaboli & mortis, à maledictione legis, à Ceremoniis & forensibus Legibus Moysi, deniq; à traditionibus humanis in Ecclesia, omnium temporum, ut in regno Filii Dei, spiritu spontaneo, & libera conscientia, Deo servire, & gratos ipsi cultus præstare possint. [*De hac libertate dulcissimè canit Zachar. Luc: 1. v. 47 Vt de manu inimicorum nostrorum liberati, sine timore serviamus Deo, in sanctitate & justicia coram ipso, omnibus diebus vitæ nostræ.*

Vnde petenda est doctrina de spirituali Libertate Christianorum?

Ex

Ex solo Evangelio, monstrante Filium Dei liberatorem generis humani, & offerente in ipso reconciliationem cum Deo, gratuitam remissionem peccatorum, imputationem justitiæ, & hæreditatem vitæ æternæ, juxta dictum, Rom. 8. v. 2. *Lex spiritus vitæ in Christo Iesu, liberavit me à lege peccati & mortis.* Et Ioh. 8. v. 36. diserte dicitur: *Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis.*

Quot modis liberat nos Filius DEI?

Duobus modis: Merito & efficacia.

Quomodo liberat nos merito?

Quia obedientia sua satisfacit Legi, & placat iram Dei, destruit tyrannidem diaboli, tollit peccatum & mortem, & donat credentibus justitiam & vitam æternam, ut Paulus Galat. 3. v. 13. testatur: *Christus nos redemit à maledictione Legis, factus*

male-

maledictum pro nobis, ut benedictio Abrahe veniret in gentes.

Quomodo liberat nos efficacia?

Quia per Evangelium, & per Spiritum sanctum accendit consolationem in cordibus nostris, & efficit in nobis novos motus Deo placentes, & mirabiliter nos liberat ex periculis tandemq; ex morte resuscitatos traducet ad vitam beatam & immortalem, sicut ipse inquit, Iohan. *10.* v. *28* *Ego vitam æternam do ovibus meis.*

Quot igitur sunt gradus Libertatis Christianæ in hac vita?

Docendi causa quatuor gradus libertatis constitui possunt, qui summa privilegia Christianorum in hac vita continent.

Quis est primus gradus Libertatis?

Primus gradus est gratia, id est, liberatio à peccato, ab ira Dei, à Lege accusante nos, & damnatione æterna,

quod

quod videlicet certo dantur remissio peccatorum, reconciliatio, imputatio justitiæ, propter Mediatorem gratis, fide, qua fit vivificatio, & liberatio ab æterna morte, & donatur hæreditas vitæ æternæ, ut Baptista clamat: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Iohan. 1. verf. 29.*

Quis est Secundus gradus?

Secundus gradus est cum priore conjunctus, videlicet, donum per gratiam, Rom. 5. v. 17. id est, efficacia Filii Dei in credentibus per Evangelium, & per Spiritum sanctum, qua efficacia est vivificatio, id est consolatio & inchoatio vitæ æternæ, juxta dictum: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Iohan. 17. v. 3. Est & inchoatio novæ obedientiæ, & præsentia Dei in credentibus, quod Deus præsens per Filium & Spiritum sanctum, mirabiliter regit, servat, &

defen-

defendit Ecclesiam, depellit pericula & mitigat ærumnas, juxta promissionem: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum, Psalm. 91. v. 15.*

Quis est tertius gradus?

Tertius gradus est liberatio à Ceremonijs & forensibus legibus Mosi, quod videlicet Christiani non sunt allegati ad politiam Mosi, aut ullam certam unius gentis politiam, sed utipossunt imperijs & legibus politicis non pugnantibur cum mandatis Dei, & cum naturali ratione, ubicunq; in orbe terrarum vivunt, sicut Paulus Galat. 5. v. 6. inquit: *in Christo Iesu nec circumcisio aliquid valet, nec præputium, sed fides, quæ per dilectionem est efficax.*

Quis est Quartus gradus?

Quartus gradus est liberatio à traditionib⁹ humanis in Ecclesia, videlicet quod nulli creaturæ licet instituere

cultu

cultus Dei, aut aliquam legem contrariam Legi divinæ condere: Et quanquam in hac vita, cum velit Deus honestos congressus publicos esse, opus est ordine temporum & lectionum, & Ecclesiæ concessum est, tempora & lectiones distinguere: tamen hoc fieri debet, sine opinione cultus & necessitatis, & sciant homines extra casum scandali tales ritus sine peccato omitti, sicut scriptum est: *Frustra colunt me mandatis hominum, Matth. 15 v. 8.* Item: *Nemo vos judicet in cibo & potu & vicibus dierum festorum, Col. 2. v. 16.*

Quis est usus hujus loci de Libertate Christiana?

Plurimum prodest, cum ad doctrinam, tùm ad consolationem piorum.

Quomodo prodest ad doctrinam?

Quia illustrat & confirmat veram

senten

sententiam Evangelij de justificatione, & accuratè munit pias mentes adversus Ethnicas opiniones de justitia operum, & de necessitate rituum qui ab hominibus instituti sunt. [*Simul etiam liberat conscientias à multis vinculis legum & traditionum humanarum, & cum in hac vita minus conspicua sit libertas, quam Filius Dei sanguine suo peperit, deducit pios ad conspectum integræ & consummatæ Libertatis, cum post resurrectionem Deus erit omnia in omnibus salvatis, 1. Cor. 15. v 27 id est cum Ecclesia vivet vita æterna, & fulgebit in ea DEVS communicans suam lucem, sapientiam justitiam, & lætitiam sempiternam sine peccato, sine morte, sine ullis calamitatibus.*]

Quomodo prodest ad consolationem?

Quia confirmat pios etiamsi in hac vita circumferant reliquias peccati, & magna mole sordium ærumnarum

& calamitatum premantur, quod nihilominus à summis & æternis malis liberi sint, & verè placeant Deo propter Filium, Liberatorem & Redemptorem Ecclesiæ, & vivificentur à Spiritu sancto & præsentem habeant Deum æternum, qui mitigat ærumnas & suppeditat eventus salutares, & paulo post ab omnibus malis eos liberabit, cum ex morte resuscitatis communicabit gloriam & lætitiam æternam, qua in consuetudine Dei, sanctorum Angelorum, & universæ Ecclesiæ fruentur.

Qui errores de Libertate Christiana damnandi & fugiendi sunt?

Primum Anabaptistarum, qui prætextu Libertatis Christianæ movent seditiones, ut jugum magistratus excutiant, & imperitæ plebi immunitatem ab oneribus civilibus promittunt, omniumque scelerum licentiam stabiliunt.

Deinde

Deinde fanaticorum hominum, qui Leges forenses Mosi revocant in Ecclesiam, & his solis Christianos regendos esse contendunt.

Tertio, Monachorum & reliquorum Pontificiorum, qui conscientias alligant ad traditiones humanas, easque cum opinione meriti & cultus divini, necessario observandas esse docent.

Locus XXI.

DE ADIAPHORIS SEU DE CEREMONIIS ET traditionibus humanis in Ecclesia.

Quid sunt Adiaphora?

QUæ res mediæ seu indifferentes, hoc est, ceremoniæ quædam externæ, seu ritus quidam Ecclesiastici, qui expresso verbo Dei, neque mandati, neque prohibiti, sed ab hominibus in

Ecclesia instituti sunt, ordinis & disciplinæ causa, ut confusiones omnes & scandala in Ecclesia vitentur.

Suntné Adiaphora cultus Dei?

Per se, & sua natura, non sunt cultus Dei, neque pars cultuum divinorum: multo minus sunt meritum remissionis peccatorum, aut causa justitiæ & salutis coram Deo; cum gravissimè scriptum sit: *Frustra colunt me mandatis hominum. Matt. 15. v. 8.* Item: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, Iohan. 1. v. 29.*

Quid interest inter cultum Dei & Adiaphora?

Cultus Dei sunt opera à Deo mandata, facta in fide, id est, in vera agnitione & fiducia Filii Dei Mediatoris, & relata adhunc finem, ut Deo tribuatur honos hoc est, ut testemur hunc vere esse Deum, quem sic colimus, & Deum sic velle coli: Estque regula cultuum divinorum decalo-

gus

gus recte intellectus, juxta dictum: *In præceptis meis ambulate, Ezech. 20. v. 19.*

Ἀδιάφορα verò sunt opera ab hominibus excogitata & ordinata, propter εὐταξίαν, & tranquillitatem Ecclesiæ, quæ sine opinione cultus, justitiæ & necessitatis, liberè præstantur, vel omittuntur, modo scandali ratio in Ecclesia vitetur. Talia sunt discrimina temporum, ciborum, vestimentorum, & rerum similium. Ritus item sacrorum, ordo lectionum, cantionum & precum.

Licetne Episcopis & pastoribus Ecclesiarum hujusmodi ἀδιάφορα instituere?

Licet, modo id fiat, sine superstitione & idololatria. [*Quia hominum natura intelligit & amat ordinem, qui maximè decet Ecclesiam, & congressus publicos. Ideo Paulus gravissimè dixit: Omnia decenter & ordine fiant, 1. Cor. 14. v. 40. Non ordinem tantum, sed etiam singularem*

curam ornandi ordinis requirit. Quare addit εὐσχημόνως, ut videamus, quid personas, loca & tempora deceat.

Súntne servanda Adiaphora ab hominibus instituta?

Omnino sunt servanda, nec turbanda est Ecclesia intempestivis mutationibus, & rixis non necessariis, juxta præceptum: *Non sint inter vos schismata, 1. Cor. 1. v. 10.*

Quo fine servanda sunt Adiaphora?

Eodem panè fide, quo & instituta sunt, videlicet, propter ordinem, disciplinam, & tranquillitatem Ecclesiæ. Et ut vulgus habeat quandam pœdagogiam; commonefacientem homines de historia & beneficiis Christi, & excitantem eos ad seriam pœnitentiam, ad piam invocationem, gratiarum actionem, & alia exercitia veræ pietatis. [*Nam discrimina temporum, & varietas rituum, plurimum valet ad erudi-*

endum

endum & admonendum vulgus. Ideo Deus ipse quorundam Festorum ordinem, propter mirandorum factorum memoriam, in veteri & novo Testamento servari voluit. Levit. 23. per totum caput.

Estne necesse, vbiq; in Ecclesia similes esse traditiones seu ritus & ceremonias ab hominibus institutas?

Nequaquam est necesse, quia ad veram unitatem Ecclesiæ, satis est consentire de doctrina Evangelii, & administratione Sacramentorum, & ad veram fidem in corde, seu ad justitiam cordis coram Deo, sine qua vera, hoc est, spiritualis unitas Ecclesiæ consistere nequit, nihil prorsus pertinet similitudo Ceremoniarum, & rituum humanorum, qui sunt externæ & politicæ ordinationes, & alibi casu, & alibi propter quasdam probabiles rationes variant. [*Ideo nulla Ecclesiæ alias in orbe terrarum Ecclesias, propter dissimilitudinem Ceremoniarum &*

vitiuum humanorum accusare, multò minus condæmnare & excõmunicare debent. Vetus enim & memorabile dictum est Irenæi: Dissonantia jejunii, non solvit consonantiam fidei. Euseb. Histor. Ecclesiast. Lib. 5. Cap. 24.]

Quando Adiaphora prorsus rejcienda & constanter damnanda sunt?

Quando pugnant cum mandatis Dei, aut obtruduntur Ecclesiæ & conscientiis piorum, cum opinione cultus, justitiæ & necessitatis. [Tunc enim revera fiunt doctrinæ dæmoniorum, ut Paulus. 1 Tim. 4. v. 1. testatur: Quia obscurant Evangelium, meritum Christi & justitiam fidei: labefactant & evertunt libertatem Christianam, quæ sanguine Christi parta est: Extenuant præcepta Dei, quibus externam hypocrisin anteferunt, & tristi servitute astringunt atq; onerant conscientias, quæ impedit veram invocationem, & infinita agmina hominum, aut in Epicure-

um

um contemtum Dei, aut in æternam desperationem impellit. Ideo his doctrinis dæmoniorum, cogunt nos Apostoli adversari cùm docendo, tum exemplis libertatis, ut Petrus Actor. 15. v. 10. graviß mè inquit: Quare tentatis Deum, imponentes jugum super cervices discipulorum, quod neque nos, neque Patres nostri portare potuimus, sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi *credimus salvari, quemadmodum & illi salvati sunt. Paulus non vult circumcidi Titum, ut libertatis exemplum ostendat, Galat. 2. v. 3. Et Petrum ibidem v. 11. arguit; confirmantem exemplo suo pertinaciam eorum, qui Mosaicos ritus servari volebant.*

Licetnè persecutionis tempore Adiaphora quædam, prius abrogata, in gratiam Pontificiorum revocare, & in his cum hostibus Evangelij consentire?

Nequaquam licet. Tunc enim

perspicuè & constanter edenda est confessio, & non principaliter respiciendum est ad ipsa Adiaphora, quæ suâ naturâ libera sunt ac manent: Sed omnium maximè ad consilium & conatum hostium Evangelii, qui vel vi manifesta, vel occultis dolis, veritatem Evangelii obscurare, idololatriam suam stabilire, & libertatem Christianam evertere studeant. [*Ideo neq; in doctrina vera & necessaria, neq; in iis rebus, quæ verè sunt ἀδιάφορα, adversariis cedendum est, neq; intempestiva & inepta conciliatione hostes Evangelii in sua idolomania confirmandi, neque piæ mentes in conscientia sua perturbandæ, & scandalo afficiendæ sunt, sed simpliciter obtemperandum est mandatis divinis, Matth. 10. v. 32. Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo cœlesti. 2. Corinth. 6. v. 14. Nolite iugum ducere cum infidelibus. Galat. 5. v. 1. In libertate, qua Christus vos liberavit, state, & ne-*

quaquam

quaquam jugo servitutis rursum implicemini.

Quis est verus usus libertatis Christianæ in rebus adiaphoris?

Verus usus Libertatis Christianæ in eo consistit, ut rebus adiaphoris liberè, sine scrupulo conscientiæ, utamur, & scandali ratione vitemus, ne vel rigida observatione, vel intempestiva mutatione ceremoniarum & rituum humanorum, infirmi offendantur, aut rixæ non necessariæ in Ecclesia moveantur. [*Ut enim non peccant, qui tales ceremonias & ritus extra casum scandali retinent: Ita gravissimè peccant, qui ejusmodi ceremonias & ritus cum scandalo violant. Et quidem verum usum Libertatis Christianæ, Paulus ipse cum voce sua, tùm exemplo suo docet, cum inquit, Rom. 14. v. 1. Infirmum in fide assumite, & nolite perturbare conscientias. Et non solum, Actorum. 16. vers. 3. circumcidit Timotheum, sed etiam Actorum 18.*

v.24. & 21.v.18. ritum Nazaræorum servat, ne scandali causam infirmis præbeat.]

Quid est Scandalum?

Est dictum aut exemplum, quo alius fit deterior, seu quia error in eo confirmatur, seu quia imitatur malum exemplum, seu quia flammas majores odii adversus Evangelium concipit. [*Correlativum scandali est offensio, ac interdum promiscuè scandalum, quod significat obiectum, pro ipsa offensione sumitur.*]

Quotuplex est Scandalum?

Duplex: Datum & Acceptum.

Quid est scandalum datum?

Est aut falsa doctrina, aut malum exemplum, quod aliis nocet, vel quia in errorem alios seducit, vel quia licentiam in aliis confirmat, & eos adimitationem invitat, vel quia deterret aliquos ab Evangelio, vel quia præbet occasionem maledicendi Christo, aut Ecclesiæ Dei, vel quia ferit alia plura peccata, quæ lædunt gloriam Dei, &

contristant Spiritum sanctum in cordibus piorum.

Quæ Regula de hoc scandalo tenenda est?

Regula hæc est: Scandala data, id est, falsæ doctrinæ, & prava exempla verè sunt peccata, damnata voce Christi, Matth. *18.* v. *7. Væ homini, per quem venit scandalum.* Quare hujusmodi scandala, magna cura & vigilantia vitanda sunt, cùm gravissima comminatio addita sit Matth. *18.* v. *6. Quisquis offenderit unum de pusillis istis, qui in me credunt, satius ei est, ut mola asinaria suspendatur de collo eius, & demergatur in profundo maris.*

Quid est scandalum acceptum?

Est Pharisaica offensio, cum impii & pertinaces hypocritæ, odio diabolico impulsi, irascuntur veræ doctrinæ Evangelii, aut honestis & necessariis factis, ut cum nolunt proponi

veram doctrinam, & taxari errores, aut nolunt, taxari cultus idolorum, qui ipsis quæstuosi fuerunt.

Quæ regula de hoc scandalo tenenda est?

Regula hæc est: Necesse est confiteri veram doctrinam, & fugere idola, & facere opera mandata à Deo, etiamsi fremunt & repugnant impii, & concipiunt majores flammas odii adversus Evangelium, & tristia dissidia ex impiorum pertinacia oriuntur. [*Peccant autem impii adversantes Evangelio, & causæ sunt dissidiorum ipsi, quia credere veritati debebant. Non peccant hi, qui juxta vocationem rectè docent, aut confitentur Evangelium, iuxta dictum Prophetæ ad impium regem Achab: Non ego turbo Israelem, sed tu & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim, 1. Reg. 18. v 18.*

Qui errores de Adiaphoris fugiendi & damnandi sunt?

Primum

Primum omnium hypocritarum, quales olim fuerunt Pharisæi in populo Iudaico, & hodie sunt pontifices Romani, eorumq; satellites, qui stulte fingunt, traditiones humanas esse cultus Dei, necessarios ad promerendam remissionem peccatorum, & gratiam, aliasq; falsas opiniones addunt, quæ sunt periculosæ carnificinæ conscientiarum, & libertatem Christianam evertunt.

Deinde hominum petulantium, qui temere abutuntur libertate Christiana, & in Ecclesiis emendatis, vel prorsus abjiciunt omnes ritus honestos, vel cum scandalo violant traditiones humanas.

Tertio eorum, qui tempore persecutionis hostibus Evangelii, in Adiaphoris, cum jactura veritatis divinæ & cum scandalo Ecclesiæ, gratificandum, aut cum hostibus Evangelii,

propter pacem & tranquillitatem, colludendum esse censent.

Quarto. Zwinglianorum & Calvinistarum qui furioso quodam zelo templa, altaria, imagines, & picturas sacras in templis, propter Papisticam idololatriam privata autoritate & vi manifesta demoliuntur, cùm idola prius verbo Dei ex animis hominum evellenda sint, quam ab oculis eorum removeantur.

Locus XXII.

DE MAGISTRATV POLITICO.

Quid est Magistratus Politicus?

MAGISTRATUS Politicus est persona, à Deo ordinata, ad conservationem legis in externa disciplina, & quidem utriusque tabulæ Decalogi, & ad pacis defensionem, & habet potestatem puniendi contu-

maces

maces vi corporali [*Hæc definitio congruit cum verbis Pauli Rom. 13. v. 1. Non est potestas, nisi à Deo, quæ vero sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. Itaq; quisquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Item *Non frustra gladium gestat Magistratus, Dei enim minister est, ultor ad iram ei, qui, quod malum est, fecerit.*

Quæ sunt præcipua officia Magistratus politici?

Quatuor. Primum, sonare vocem Decalogi in genere humano, & tueri universam legem naturæ. [*Vult enim Deus primas normas omnium legum, & universæ gubernationis, esse has leges, quarum summam in Decalogo complexus est, quem vult rectè intelligi,*

Secundum: Magistratus sit executor legum Decalogi, in punienda earum violatione vi corporali. [*Quia Deus voluit in pœnis ostendere iudicium suum & cum velit regi hominum vitam per*

Magistratus, armat eos hac potestate, imò dat mandatum, ut puniant violantes Decalogum, iuxta dictum. Non parces ei, nec misereberis, sed auferes malum de medio tui. Deut. 19. v. 19.

Tertium, addere aliquas leges Decalogo, id est legibus naturæ de civilibus negotiis. [*Sed hæ additiones non pugnent cum legibus naturæ, verum sint determinationes certarum circumstantiarum additæ communibus notitiis naturalibus: ut, notitia naturalis est:* Fur est puniendus, *Sed modum pœnæ determinat lex, addita à Magistratu, ut:* Fur quadruplo vel laqueo puniatur.

Quartum: Magistratus sit exsecutor etiam suarum legum in pœnis vi corporali. *Et habent pœnæ suos gradus, de quibus disputant, & disponunt Iurisconsulti.*]

Estné concessum homini Christiano Magistratus gerere, iudicia exercere, accusare, & respondere in foro, mi-

litare

litare legitimas pœnas exequi?

Concessum est, sicut manifesta exempla ostendunt. Cornelius Actor. *10. v. 1.* Et alter Centurio, de quo dicit Dominus, Matth. *8. v. 10.* Non inveni tantam fidem in Israel. Sergius Proconsul, Actor. *13.* ver. *7.* & omnibus temporibus à principio generis humani, fuerunt, sunt, & erunt aliqui Magistratus à Deo ad æternam salutem electi, & ad societatem veræ Ecclesiæ vocati. [*Abraham magno prælio vicit Chaldæos, Genes. 14. v. 1. Abimelech rex, fuit auditor Abrahæ, Genes. 20. v. 11. Deinde Ioseph & Daniel gubernarunt maxima regna inter Ethnicos. Et cùm inquit Baptista, Luc. 3. v. 14. Contenti estote stipendiis vestris, approbat militiam Et rex Iosaphat inquit: iudicium Domini exercetis, 2. Paral. 19. v. 9, Et Psal. 148. v. 11. Reges terræ, & omnes iudices terræ, laudent nomen Domini.*]

Quo

Quomodo Deo placere possunt imperia & munera politica, cum in his multæ sint iniuriæ & confusiones?

Discernendum est inter imperia ipsa, & inter vitia ac confusiones, quæ in imperiis conspiciuntur.

Quid de imperiis ipsis sentiendum est?

Imperia ipsa, & munera politica in imperiis, sunt res bonæ, institutæ & ordinatæ à Deo. [*Totus enim ordo politicus, ut societas generis humani, coniugium, generatio, educatio sobolis, contractus, artificia, iuditia, defensio, militia, pœnæ homicidarum, blasphemorum, incestorum, & aliorum sceleratorum, &c, est singulare opus Dei, ipsius Dei sapientia & iustitia in genere humano ordinatum, ut Paulus Rom. 13. v. 1. testatur: Et quanquam diaboli & horum organa hunc pulcerrimum ordinem turbant, tamen quantum ordinis manet, servatur potenter à Deo. Et hæc ipsa conservatio est testimoni-*

um de Deo, de providentia & de præsentia Dei in genere humano, quia manifestè videmus retrahi homicidas & homines seditiosos ad supplicia, & universaliter præsidia humana infirmiora esse, quam ut possint custodire politias, nisi Deus custodiret, quas vult incolumes esse. Ideo Psalm. 127. v. 1. inquit: nisi Dominus custodieret civitatem, frustrà vigilat, qui custodit eam.]

Quid verò de vitiis & confusionibus sentiendum est?

Vitia & confusiones in imperiis non sunt res ortæ à Deo, sed à Diabolis, & horum organis, impiis & scelleratis hominibus. [*Sæpe persona quæ tenent imperia, non sunt excitatæ à Deo, & impulsu Diabolorum magis turbant ordinem divinum, quàm tuentur & ornant, ut Caligula, Nero, & aliæ pestes plurimæ, grassantes in imperio, quod divinitus ordinatum erat, velut apri in horto benè culto, & accedunt alia multa mala in imperiis, quæ sunt fatales pœnæ peccatorum, & permittun-*

mittuntur à Deo, ut sint exempla justissimæ iræ Dei adversus scelera hominum, juxta dictum, Amos 3. v. 6. Non est malum in civitate, quod non fecit Dominus.]

Quod est discrimen boni Principis & Tyranni?

Bonus Princeps est, qui habet προαίρεσιν rectè faciendi, & plerumq; ac in præcipuis partibus officii sui rectè facit, etiamsi aliquando labitur, & peccat, juxta dicta. Hoc requiritur, ut fideles simus, 1. Cor. 4 v. 2. Item. Non est justus in terra, qui benefaciens etiam non peccet, Ecclesiast. 7. v. 21. [*Ac placet Deo gerens Magistratum, seu Dux, seu Iudex, seu Miles, habens fidem & bonam conscientiam, juxta regulam Pauli, 1. Tim. 1. v. 18.*]

Tyrannus vero est, & Deo displicet, qui non habet προαίρεσιν rectè faciendi, & plærumq; scelerate facit, etiamsi interdum justa facit, ac negligit præ-

cipuas

cipuas officii partes, seu sciens, seu affectata ignorantia, seu affectata omissione, ut Saul, Cambyses, Sardanapalus, & alii similes.

Quæ sunt metæ divinitùs circumdatæ Magistratibus politicis?

Metæ hæ sunt. Primum Magistratus politici non prohibeant veram doctrinam Evangelii, & veros cultus, sed suis officiis foveant Ecclesiam, & diligenter promoveant verā doctrinam & pios cultus, juxta præceptum, Matth. 22. v. 21. Reddite Deo, quæ sunt Dei. Et Esa. 49. v. 23. dicitur: Erunt Reges nutritores tui, & Reginæ nutrices tuæ.

Deinde: Magistratus politici non condant dogmata in Ecclesia, nec instituant cultus pro suo arbitrio, ut fecit Nabuchodonosor, Dan. 3. v. 1. Et cum hoc faciunt, nequaquam ipsis obedientia præstanda est, juxta

regu-

regulam: *Oportet Deo magis obedire, quam hominibus, Actor. 5 v. 29.*

Tertiò: Cùm distinctio dominiorũ inter facultates regum & subditorum, sit juris divini, Magistratus politici non rapiant ad se bona subditorum. [*Nam præceptum:* Non facias furtum: *obligat omnes homines, & distinguit ac munit omnium hominum dominia, Regum & subditorum. Propria sunt Regum & Principum stipendia, id est, tributa & vectigalia legitima. Et ab his distinguuntur facultates subditorum, nec conturbentur dominia, nec præter legitima stipendia, & sine justa causa sumant Reges ex facultatibus subditorum, quantum ipsis libet, Briarei manibus, ut Naziazen. loquitur: At ut jure potuit Naboth recusare, se Regi petenti veniam venditurum esse: ita injustè fecit Rex impius, rapiens vineam, justo domino per fraudem interfecto. 1. Reg. 21. v. 16.*

Quæ

Quæ sunt officia subditorum erga Magistratus politicos?

Duo: Honor & obedientia, ut 1. Pet. 1. v. 17. dicitur: *Regem honorate.* Et Paulus inquit, Rom. 13. v. 5. *Oportet esse subditos, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

Quid honor potissimum complectitur?

Non externam tantùm reverentiam, sed officia sequentia

Primùm agnoscere ordinem Politicum, & Magistratus legitimos, esse opera Dei, & in his lucere & conspici sapientiam, justitiam & bonitatem Dei erga genus humanum.

Deinde reverenter se subjicere ordinationi divinæ, & sincero amore complecti Magistratus legitimos, tanquam singularia dona Dei.

Tertiò, Gratias agere Deo, pro instituto ordine politico, & ardentibus votis Deum invocare ut ordina-

rios Magistratus in magna negociorum mole, & atrocibus, insidiis Diaboli, clementer servet, regat & adjuvet.

Quartò adhibere candorem & ἐπιείκειαν in legibus & actionibus Magistratuum judicandis, ut in ipsorum nævis ac vitiis tolelerandis & condonandis.

Quid obedientia potissimum complectitur?

Obedientia erga Magistratum sequentia officia continet:

Primùm, Voluntatem ultrò & vero studio subjicentem se Magistratui, propter Deum autorem.

Deindè, omnia officia externa, honestis legibus divinis & positivis mandata.

Tertio, opera militiæ togatæ & bellicæ, quæ ad defensionem publicæ tranquillitatis suscipiuntur, in administratione civili.

Quar-

Quarto, Tributa, hoc est, collationes pecuniæ, ad conservationem gubernationis, judiciorum & pacis publicæ, ut dicitur, Rom. 13. v. 7. Date φόρον, id est, pensiones ordinarias, de rebus terra nascentibus, & τέλος, id est, vectigal, pro rebus, quæ transvehuntur, & permutantur in contractibus.

Qui errores de Magistratu politico damnandi & fugiendi sunt?

Primum, Marcionis & Manichæorum, qui improbarunt Magistratum politicum, & hunc à malo Deo, seu à Diabolo ortum & institutum esse finxerunt.

Deinde, Fanaticorum & seditiosorum hominum, quales ante hanc ætatem fuerunt Pelargus, Muntzerus, & similes rusticanæ seditionis autores.

Tertiò, Anabaptistarum, qui adhuc hodie circumferunt Marcionis & Manichæorum deliria, & Magi-

stratu

ſtratuum ſanctiones, judicia, leges forenſes, legitimas pœnas, imperia, bella legitima, militiam, & alia politica munera damnant, tanquam res impias, & homini Chriſtiano nullo modo conceſſas.

Quarto, Pontificum Romanorum, qui pedibus, conculcarunt Reges & Principes orbis Chriſtiani, & prætextu religionis injuſtè ad ſe traxerunt regna, & imperia mundi, ut tyrannidem ſuam ſtabilirent.

Locus. XXIII.
DE CONIUGIO,

Quid eſt Conjugium?

COnjugium eſt legitima & indiſſolubilis copulatio unius maris, & unius fœminæ, inſtituta divinitùs, ut agnoſcamus, Deum eſſe mentem caſtam, & ei in caſtitate ſerviamus, &

hoc

hoc modo propagato genere humano colligatur æterna Ecclesia Deo, cujus initium fuit prima illa societas duorum conjugum, instituta & ordinata in paradiso.

Quis est autor Conjugij?

Deus, seu tota Divinitas, quæ, ut mens casta, sapienti consilio instituit, & certis legibus sanxit conjugium. Genes. 2. v. 22. &c. ut discernatur à naturis immundis, & ab hominibus casta mente colatur. Ideo Christus Matth. 19. v. 6. expressè inquit: Quos Deus coniunxit, homo non separet.

Quando & ubi Deus instituit conjugium?

Mox post conditos primos homines in Paradiso, cùm in statu innocentiæ & integritatis, originalem justitiam adhuc retinerent, & nulla peccati labe contaminati essent, ut illustre testimonium extaret, conjugium es-

se vitæ genus sanctum, congruens cũ sapientia & justitia Dei, in quo sine peccato homines vivere possint, sicut Ebr. 13, v. 4. dicitur: Honorabile sit conjugium in omnibus, & thorus immaculatus.

Quibus Deus instituit conjugium?

Non Angelis, in quorum natura nulla est propagatio, sed hominibus, quos ita condidit, ut in his fieret propagatio à paucis, propter Ecclesiam, quam vult Deus honestam societatem esse. Cumq; omnes homines mirabili consilio Dei ita conditi sint, ut essent fœcundi, etiam omnibus hominibus, qui dono cõtinentiæ carent & in vita cœlibe commixtiones & contaminationes corporum vitare non possunt, mandatum est conjugium, ut ordinem divinitus sancitum, amplectantur, & juxta eum castitatis decus tueantur. Ideo vox divina universaliter inquit, Gen. 2. v. 18. *Non est*

bonum

bonum hominem esse solum. Et Paulus *1. Cor. 7. v. 2. Propter fornicationem vitandam quilibet propriam uxorem habeat, & quælibet proprium maritum habeat.*

Quomodo Deus instituit conjugium?

Ut sit legitima & indissolubilis conjunctio unius maris, & unius fœminæ, iuxta dictum Genes. *2. v. 26. Erunt duo in carnem unam*, id est unus mas, & una fœmina, inseparabiliter juncti.

Quare conjugium nominatur legitima conjunctio?

Quia regi debet legibus divinis & humanis, quæ de gradibus cognationum sapienter traditæ sunt. [*Non enim cum quibusvis personis promiscuè Conjugium contrahere & inire licet. Voluit Deus sua sapientia castitatem intelligi, & ut intelligeretur, nequaquam voluit vagari libidines, & in lege sua Levit. 18. versu 1. personarum numerum &*

gradus sanxit, & in hac vita manifestis pœnis universaliter punit incestas libidines, quæ sunt commixtiones cum cognatis prohibitæ Lege divina, ad quas nulla conjugalis solennitas accedere potest.]

Quomodo discernendi sunt consanguinei affines, habentes prohibitionem conjugii?

Discernuntur lineis & gradibus, ut copiosè docent Canones, & libri methodici nostrarum Ecclesiarum eruditissimè scripti, ex quibus tota doctrina de differentia cognatorum petenda est.

Quousq; se extendit prohibitio divina Levit. 18?

In recta linea prohibet conjunctionem & commixtionem inter omnes ascendentes & descendentes, sursum & deorsum. In collateralibus prohibet primum & secundum gradum in linea inæquali, hoc est, ne frater ducat sororem nec nepos ducat amitam

aut

aut materteram, nec neptis nubat patruo aut avunculo. Non autem prohibet connubia in secundo gradu in linea æquali, hoc est, duorum fratrum liberis concedit conjugium, sicut Maria & Ioseph, nati ex duobus fratribus, Iacob & Eli, matrimonio juncti fuerunt.

Suntne prohibitiones Levit. 18. Iuris positivi aut naturalis?

Leges in Levitico, quæ prohibent conjunctionem & commixtionem personarum, quæ ibi reciantur, sunt leges naturæ, & obligant omnes gentes extra politiam Mosi. Etsi enim politia Mosi nihil ad alias gentes pertinet, tamen regula universaliter tenenda est: Mandata naturalia ad omnes homines, & ad omnia tempora pertinere, quia sunt normæ justitiæ in mente & voluntate divina immutabiles. [*Hæc voluntas Dei etiam sanctorum patrum voce declarata fuit. Iacob ma-*

ledicit filio, qui attigerat novercam, Genes. 35. versu 22. Et textus in Levitico, cap. 18 v. 3. affirmat: Puniri Aegyptios & Cananæos, propter incestas libidines. Cùm autem Deus puniat gentes quæ sunt extra politiam Mosi, & quæ fuerunt ante Mosen, perspicuum est, has prohibitiones vocis divinæ, esse æterna & immutabilia mandata, & pertinere ad omnes homines. Ideo & Paulus punit Corinthium, qui attigerat novercam, 1. Cor. 5. v. 5. Ac sciendum est non valere dispensationes, quæ concedunt commixtionem in gradibus prohibitis in textu Levitici.]

Quousq; se extendunt prohibitiones legum humanarum?

Additæ sunt divinis prohibitionibus & humanæ quædam in proximis gradibus, ut in secundo gradu in linea æquali, & tertio gradu, ut maior sit reverentia sanguinis, & prohibitiones divinæ maiore cura observentur. Hoc consilium honestum & probandum

est.

est.[*Interdum autem probabilis ratio incidere potest, quare humanæ prohibitiones laxentur: Quod tamen circumspectè fiat per Pastores & Magistratus, non privata temeritate.*

Quid præter restrictionem personarum ad legitimam conjunctionem requiritur?

Consensus. Primum, partium contrahentium. Deinde parentum. in quorum potestate sunt partes contrahentes.

Estne necessarius consensus partium contrahentium?

Omninò. Necesse est, expressum consensum esse sponsi & sponsæ, ut regulæ sæpè repetitæ in iure docent. *Conjugia mutuo consensu jungi.* Item *Consensus facit conjugium, non concubitus.* Et rectè interrogatur Rebecca, Genes. 24. versu 58. *Num velit nubere Isaaco?*

Quæ ab hoc consensu abesse debent?

Tria: Conditio, Error, & Violentia.

Quid sentiendum est de conditione?

Conditio honesta & pertinens ad conjugium, adjecta in principio contractus, si non fuerit impleta, dissolvit contractum. Quales hæ sunt conditiones: *Ducam te, si parentes consenserint: Si dos mihi dabitur pro nostris facultatibus conveniens.* Cùm autem sequitur concubitus, non expectata conditionis impletione, ea conjunctio judicatur esse conjugium, quia personæ convenientes discedunt à conditione. Conditiones autem peregrinæ, non pertinentes ad conjugium, turpes quoque & impossibiles, ociosæ sunt, & tanquam non additæ, rejiciuntur.

Quotuplicia sunt sponsalia?

Duplicia

Duplicia: Alia de præsenti, alia de futuro.

Quid sunt sponsalia de præsenti?

Sunt omnes promissiones, in quibus per verba de præsenti seu Categoricè promittitur conjugium. Suntq; hujusmodi promissiones initium conjugii præsentis.

Quid sunt sponsalia de futuro?

Sunt promissiones omnes, quibus addita est conditio honesta, cuius ratio in judicando habenda est, ut: *Ducam te, si parentes consenserint.* Tales promissiones irritas esse, si conditioni non fuerit satisfactum, modo dictum fuit. Sunt & sponsalia de futuro, quando nomine impuberum fit promissio à parentibus vel tutoribus de conjugio contrahendo inter hos impuberes, cum ætas erit idonea, aut cum ipsi impuberes, vel altera persona, cuius ætas nondum est idonea,

coniugium futurum promittit. Hæc sponsilia dissolvi posse, cùm deinde voluntas puberum non accedit, certũ est Nec cogendi est persona repugnans, quæ se non obligavit ipsa postea, cum ætas jam matura esset conjugio, & suo judicio statuere posset.

Quid sentiendum de errore interveniente?

Dissolvi possunt sponsalia & conjugium, propter errorem personæ, non propter errorem fortunæ, id est, cùm dolus intervenit, seu error de homine, sicut Iacob tradita est Lia pro Rahel, Gen. *29.* v. *23.* Sed Iacob non est usus summo jure. Ac propter errorem fortunæ non dissolvuntur sponsalia aut conjugium, *ut si qua putat, sponsum esse divitem, aut nobilem, aut non habere liberos.* Talis error nihil ad substantialia coniugii pertinet.

Quid sentiendum est de violentia?

De violentia sciendum est, non esse consensum, nec coniugia, cum persona vi cogitur, ut promittat coniugium. [*Et hac in re multa tristia errata accidunt. Quia punit Deus ordinis sui depravationem pœnis manifestis. Quare parentes honesti considerantes ordinem divinum, saluti filiorum & filiarum rectè consulant ne cogant filios aut filias contra naturæ inclinationem ad coniugia, à quibus abhorrent, eáq; in re moveantur his maximis causis: Vbi non est mutuus amor coniugum, ibi discordia sautiat mentes, impedit invocationem Dei, turbat totam domesticam consuetudinem, & parit multa peccata. Interdum etiam cùm voluntates distractæ sunt, sequuntur adulteria, & pœnæ, in quibus multi ruunt in nova scelera, & in tragicas calamitates.*]

Estné necessarius consensus parentum?

Omninô. Vetusta Iura ita postulant consensum parentum in sponsalibus, ut concedant etiam ante commixtionem rescindi desponsationes, cùm accedit consensus parentum. [*Et Ambrosius in historia Rebeccæ postulat consensum parentum, ideò dicit adeò honestum & naturæ consentaneum esse, ut Poëtæ quoque idem docuerint, & recitat versus Euripidis, apud quem in Andromacho, cùm Oreſtes peteret connubium Hermiones, hæc respondet:* Eam rem pertinere ad arbitrium Patris. *Pertinet autem ad officium judicum considerare, ubi parentes probabilem causam habeant refragandi, ubi non sit probabilis causa.*

Valétne autoritas parentum, cùm res non est integra?

Post concubitum, cum res non amplius integra est, non possunt rescindi conjugia autoritate parentum, quia

non

non est jam quæstio de futuro coniugio, & violata est autoritas parentum, & desertæ mulieri maxima iniuria fieret.

Cum conjugium sit indissolubilis conjunctio, licétne facere divortium?

Prohibet Christus divortia, Matt. 19. v. 9. excepto uno casu, videlicet, adulterio, in quo casu persona rea suo scelere dissolvit conjugium, & è medio tollenda erat. Nec dissolutionis causa est persona innocens. Ideò vox Filii Dei liberat innocentem personam, ut pro sua conscientia aliud cónjugium piè contrahere possit. Extat & alter casus dissolvens conjugium, 1. Cor. 7. vers. 7. de desertore, vel desertrice, cum inquit Paulus: Si infidelis discedat, non subjectus est servituti frater, aut soror in talibus.

[*Expressè pronunciat Paulus, personam injustè desertam liberam esse, id est, non cogendam esse, ut vagabundum desertorem*

sequatur. Et quanquam aliqui hoc dictum Pauli ad casum de religione restringunt: tamen verè accommodatur in genere ad quamcunq; injustam desertionem, cum non sit ratio dissimilitudinis.]

Quid est desertor?

Desertor est, qui discedit à coniuge, aut diutiùs abest, nulla honesta causa coactus, sed vel lævitate, vel injusta impatientia freni coniugalis, vel aliis non necessariis causis impulsus vagatur. Et multi adeo sunt ἄτακτοι, qui agitantur à diabolis, ut etiam sobolem negligant. Tales desertores propter perfidiam & ἀποστασίαν supplicio publico puniendi erant. Ideo iustum est opem ferre personæ innocenti, quæ deserta est, ut ei intra certum spacium annorum, quod jura definiunt, aliud conjugium concedatur.

Non est autem desertor, qui abest

officii

officii causa ut legatus, aut miles, delectus autoritate legitima admilitandum, aut si voluntate coniugis maritus abest in mercatu, aut alio honesto negotio. Nec captivitas dissolvit coniugia, nec deportatio, nisi tale scelus interveniat, quo alioqui coniugium dissolvitur.

Cùm coniugium sit unius maris & unius fœminæ conjunctio, quid sentiendum est de πολυγαμίᾳ Patrum?

Non exemplis sed legibus iudicandum est, & in hac tanta re considerentur præcepta divina. Certissimum est, legem coniugii primam in Paradiso ita sancitam esse, ut tantum unius maris & unius fœminæ coniunctio esset: *Erunt duo in carnem unam*, id est inseparabiliter iuncti: & Matth, 19. v. 4. dicitur: *Qui fecit ab initio homines, masculum & fœminam fecit eos.*

Quis fuit autor polygamiæ?

Lamech

Lamech oriundus ex Cainica posteritate, Gen. 4. v. 19. qui primus discessit ab odine divino, & post diluvium Deus etiam in suo populo toleravit exempla dissimilia primæ institutioni, ut exempla Abrahæ, Iacob testantur: Sed Filius Dei nos ad primam institutionem retrahit inquiens, Matth. 19. v. 18. Ab initio non erat sic. Et repetit dictum: Erunt duo in carnem unam. Et Paulus inquit: Vir non habet potestatem sui corporis, sed uxor, 1. Cor. 7. v. 4.

Súntne excusandi patres propter Polygamiam?

Non scrupulosè quærendum est, quomodo excusandi sunt patres. Quia sancti non sunt sine vitiis, & omnes omnibus temporibus contagia quædam habemus ab erroribus & vitiis nostri temporis. Necobscura sunt exempla pœnarum, quæ in familiis Patrum vagatæ fuerunt. Quia vero

Patres

Patres vera invocatione Deum colebant, in agnitione redemtoris, & erant fideles custodes doctrinæ, & excellebant omnibus virtutibus, & bonam conscientiam alioquí retinebant, tales nævi tegebantur, qui jam ejus temporis mores politici erant.

Propter quas causas institutum est conjugium á Deo?

Causæ præcipuè sunt quinque.

Prima, ut agnoscamus Deum esse mentem castam, & in quotidiana invocatione ipsum casta & impolluta mente compellemus, cumq; á diabolis, spiritibus immundis & spurcis, discernamus, juxta dictum, Matth. 5. v. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Secunda, ut homò conditus ad societatem, vitæ totius, ærumnarum, precum, omniumq; officiorum & laborum socium, & adjutorem fidelem haberet, cum quo vera pietate &

obedi-

obedientia Deum coleret, ut in Genesi vox divina inquit: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium, quod sit circa ipsum Genes. 2. v. 18.*

Tertia, ut genus humanum certa lege, certoq; ordine propagaretur & conservaretur, ex eoq; per ministerium Evangelii & Sacramentorum, ampla & copiosa Ecclesia colligeretur, quæ & in hac vita, & in tota æternitate DEUM rectè agnosceret & celebraret, iuxta præceptum: *Crescite, & multiplicamini & replete terram, Gen. 1. v. 28.*

Quarta, ut coniugium esset remedium adversus vagas libidines, & promiscuas commixtiones, & contaminationes corporum, quas immutabili ordine pœnæ atroces sequuntur. Ideo Paulus inquit: *Vitandæ scortationis causa, quilibet suam uxo-*

rem

rem habeat, & quælibet suum maritum habeat, 1. Cor. 7, v. 2.

Quinta, ut copulatio maris & fœminæ, amorque mutuus inter maritum & uxorem, sit imago ardentissimi amoris, quo Filius Dei Ecclesiam sponsam suam vere & sine omni simulatione complectitur, ut Paulus Ephes. 5. v. 25. docet: *Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea. Mysterium hoc magnum est, monstrans Christum & Ecclesiam.*

Quæ sunt officia cœlibum?

Quatuor, Primum, ut reverenter sentiant de conjugio, & vita conjugali, in ejusque consideratione Deum autorem toto pectore celebrent.

Secundum, ut reprimant errantes cupiditates, & flammas illiciti amoris, vero timore Dei, & pia invocatione extinguant.

Terti-

Tertium ut castitatis decus omni studio tueantur, & sint sancti, cum corpore tum spiritu, *1. Cor. 7. v. 34.* Ne postea in conjugio sauciam conscientiam circumferre cogantur.

Quartum, ut agnoscant donum continentiæ & castitatis non esse in sua potestate, ideoq; Deum ardentibus votis orent, ut adversus libidines Spiritu sancto ipsos muniat, & suo tempore felix & tranquillum conjugium ipsis largiatur, ut Sap. *8. 21.* dicitur: *Cum scirem, quod aliter continens esse non possem, nisi Deus hoc donum daret, adii Dominum, & deprecatus sum illum toto pectore.*

Quæ sunt officia conjugum?

Sex. Primum est amor mutuus, ardens, sine simulatione, & coactione: suavis, sine morositate & fastidio: sincerus, sine suspicionibus & πλεονεξία.

Secun-

secundum: Fides conjugalis, qua conjuges in mutuo amore acquiescant, non inordinatè appetant alienos maritos, aut alienas uxores.

Tertium: ſocietas ſeu communicatio bonorum & ærumnarum, & conſtantia atque fidelitas in utraque fortuna, proſpera & adverſa.

Quartum: Benevolentia conjugalis, de qua Paulus inquit, 1. Cor. 7. v. 3. *Vir debitam benevolentiam præſtet uxori.*

Quintum: Defenſio, quam maritus ſponſæ & uxori ſuæ promittit, cum eam ab ara, tanquam ſupplicem, in domum ſuam adducit.

Sextum: ἐπιείκεια, condonans & tolerans aliquas infirmitates & nævos, communis concordiæ cauſa, ne domeſtica conſuetudo turbetur, & pia invocatio impediatur.

Quæ ſunt pœnæ libidinum & adulteriorum?

Pro-

Propter hæc scelera ordine justitiæ divinæ, vagantur in genere humano multæ pœnæ, privatæ ac publicæ, morbi exitiales, paupertas, infelicitas liberorum, interitus rei familiaris, clades familiæ, bella, vastationes, excidia urbium & regionum, dissipationes hominum, & aliæ infinitæ calamitates, ut ostendunt exempla Sodomorum, Chananæorum, tribus Beniamin, exilii Davidis, eversionis Trojæ & alia innumerabilia. [*Quia Deus punit vagas libidines omnes, etiam cum cessant Magistratus, cumq; castitas & justitia Dei immota sit, semper hanc regulam tuetur* DEVS: Scortatores & adulteros iudicabit Deus, Ebræ. *13. v. 4. Et nisi ad* DEVM *rursus convertantur polluti, punit eos* DEVS *etiam æternis pœnis, iuxta comminationem, 1. Cor. 6. v. 9. Scortatores & adulteri, regnum Dei non possidebunt.*

Qui

Qui errores de conjugio fugiendi & damnandi sunt ?

Primùm Marcionis, Encratitarum, Manichæorum, Montanistarum, & Pepusianorum, qui damnarunt coniugium, ut vitæ genus carnale & immundum, & interim fœdis ac tetris libidinibus sese contaminârunt, quas non judicarũt esse peccata mortalia. Horum similes nostro tempore sunt Anabaptistæ, Calvinus *Actorum 15.* Beza *in colloq. Mompelgart*: Monachi & Clerici in regno Pontificio.

Deinde Iudæorum, Græcorum, & Romanorum, qui propter leves causas divortia fecerunt privato arbitrio, & uxores priùs dimissas, & ab aliis ductas, horribili levitate rursus sibi adiunxerunt.

Tertiò, Pontificum Romanorum; qui, ut Hæretici veteres, damnant coniugium, & magnæ parti generis

humani illud interdicunt, & una impia lege de cœlibatu Sacerdotum, Monachorum, & monialium, non solùm orbem Christianum horrendis libidinibus implent, sed etiam infinita agmina hominum in tristes calamitates, & in æternum exitium præcipitant. Ideo Paulus recte doctrinam dœmoniorum vocat, quæ prohibet conjugium, 1. Timoth. 4. v. 1.

Quarto Hominum Epicuræorum & impiorum, qui contumeliosè sentiunt & loquuntur de conjugio, & de sexu muliebri, cùm nihilominus ardeant flammis libidinum, & præter adulteria, etiam scortationes sectentur, quas pro peccato mortali habere nolunt.

Locus. XXIIII

DE FINE MUNDI, & Resurrectione Mortuorum.

Fuit.

Fuitné præsens hic mundus ab æterno?

NEquaquam; Sed certo tempore cœpit, Deo liberrima voluntate creante, ut Moses Genes. 1. v. 1. testatur. In principio creavit Deus cœlum & terram. Et David Psal. 115. v. 1. inquit. Deus noster in cœlo, omnia quæcunq; voluit, fecit [*Ac numerat Ecclesia retrò ad mundi initium annos 5555. quibus mundus hactenus duravit, & mirabiliter à Deo conservatus fuit, usq; ad annum præsentem, qui est à nativitate Salvatoris 1593.*]

Eritné hic mundus deinceps æternus cùm semel initium acceperit?

Nequaquam. Etsi enim ratio humana statuit, hunc naturæ cursum fore perpetuum, & vices generationum & corruptionum semel ordinatas, sine fine duraturas esse: tamen Ecclesia ex verbo Dei novit, hunc

Mundum certo tempore conditum, certo etiam tempore cessaturum, & cum rebus omnibus, quæ in eo continentur, finem accepturum esse.

Quibus testimonijs probas finem Mundi?

Testimonia manifesta sunt, Psal. 102. v. 16. *Initio tu, Deus terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli, Ipsi peribunt, Tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent.*

Esaiæ. 51. v. 1. *Cœli sicut fumus liquescent et terra sicut vestimentum atteretur.*

Luc. 21. v. 33. *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.*

1. Pet. 4. v. 7. *Rerum omnium finis appropinquat.*

2. Pet. 3. v 3. *Qui nunc sunt cœli et terra, servantur igni, in diem judicii, in quo cœli magno impetu transibunt: Elementa verò calore solventur, et terra cum omnibus operibus, quæ in ea sunt, exuretur.*

Quando

Quando futurus est finis Mundi?

Articulum & momentum temporis voluit Deus nobis ignotum esse, ut assidue vigilemus, & in vera pœnitentia urgeamus cursum pietatis, militantes bonam militiam in fide & bona conscientia. Ideo Matth. *14. v. 36.* Marci *15. v. 32.* dicitur: *De die illo, et de hora ista, nemo scit, neq; Angeli in cœlis neq; Filius, sed solus Pater.* Tempus autem propinquum illi diei, qui rebus præsentibus finem impositurus est, Deus aliquo modo notum esse voluit.

[*Nam post diluvium tempora mundi distribuit in quatuor Monarchias, & sub finem quartæ Monarchiæ fore consummationem seculi, & judicium universale, disserte Daniel 12. v. 11. prædicit. Dictum domus Eliæ, quod recitatur in commentariis Iudæorum (in libro Sanhedrin Cap. Heleck) durationem Mundi definit sex*

millibus annorum, & postremum millenarium non impletum iri docet, propter multitudinem & magnitudinem peccatorum, ut Christus ipse fatetur, Matt. 24. v. 22. Propter electos abbreviabuntur dies isti. Deinq; certa signa prædicit Christus, quæ fine Mundi proximè antecessura sunt, ut his admoniti erigamus capita nostra, & sciamus appropinquare redemtionem nostram, Luc. 21. v. 28

Quæ & qualia sunt illa signa prædicta à Christo?

Multiplicia: Externa, & interna, in cœlo, terra, mari & hominibus, quæ Christus, conjungens utramq; prædictionem de excidio Hierosolymæ & de fine mundi, ordine recenset, Matt. 24. Mar. 13. Lucæ 21. videlicet:

SECTAE diversæ & dissidia, atq; confusiones dogmatum in Ecclesia.

Bella, & rumores bellorum.

Seditiones.

Quassationes & mutationes regnorum.

Pestis horrenda.

Fame,

Fames miseranda.
Terræ motus ingentes.
Persecutiones piorum hominum.
Offensiones multorum, qui persecutionibus moti, à vera doctrina deficient
ἀποστασία, Perfidia, crudelitas, & similia scelera pugnantia cum misericordia & dilectione proximi.
Manifesta idolomaniæ in Ecclesia.
Horrenda Eclipses, & crebri defectus luminarium, Solis & Lunæ.
Inusitata species stellarum.
Cometæ, & alia μετέωρα ignea, chasmata, parelia, paraselina, Irides mirificæ, diurnæ & nocturnæ.
Vehementes flatus ventorum.
Inusitatæ tempestates.
Horribiles æstus maris effervescentis.
Inundationes subitæ & terribiles, cladem afferentes totis vrbibus & regionibus.
Totius Machinæ Mundi & cœlorum imprimis concussio & dissolutio minitans

ruinam & celerem interitum.

Consternatio animorum.

Ingentes pavores & terrores propter fugam præsentium, & metum futurarum calamitatum.

Crapula & luxuries quotidiana.

Avaritia inexplebilis.

Securitas carnalis.

Epicureus contemtus Dei.

Tetræ confusiones libidinum.

His Paulus addit ἀποστασιαν seu defectionem à vera fide; & revelationem Antichristi, 2. Thessal. 2. v 3. etc.

Quis est verus Antichristus?

Pontifex Romanus, cum suo satellitio Cardinalium & Episcoporum. Ad hunc enim congruunt notæ Antichristi, quas Paulus *2.* Thess. 2. v. *3.* Petrus, *2.* Pet. *3* v. *3.* Iohannes, Apocal *14.* v. *9. 19.* v. *20.* Daniel, *12.* v. *1.* &c. recenset.

Hic antichristus nostra ætate

reve-

revelatus est per lucem Evangelii, ministerio sancti Patris & Præceptoris LUTHERI restitutam, & ut Christus spiritu oris sui ipsum perdere cœpit: Ita claritate adventus sui prorsus ipsum abolebit, & in lacum sulphureum ignis æterni cum omnibus Diabolis præcipitabit. 2. Thess. 2. v. 8. Apocal. 19. v. 20. & 20. v. 15.

Congruunt & notæ aliquæ Antichristi ad regnum Mahometicum, seu Turcicum, quod horribiles blasphemias spargit adversus Christum, Dei & Mariæ Filium, & infestis armis crudeliter oppugnat & persequitur Christianos, Dan. 7. v. 20. &c. 8. v. 9. 23 Apoc. 20. v. 28.

Quomodo perituras est Mundus?

Per ignem, idq; subitò & in momento, præter opinionem & expecta-

tionem maximæ multitudinis hominum. 2. Per 3. v. 7. Cœli qui nunc sunt & terra, verbo Dei repositi, servantur igni, in diem judicii & perditionis impiorum hominum.

Adveniet autem dies Domini, sicut fur in nocte, in quo cœli magno impetu & fragore transibunt. Elementa calore solventur, terra & omnia opera quæ sunt in ea, exurentur. Et Matth. 24. v. 44. *Estote parati quia ea hora, qua non putatis, Filius hominis venturus est.* 1. Thess. 5. v. 2. *Dies Domini veniet sicut fur in nocte. Cùm enim dixerint pax & securitas, repente irruet in eos interitus, sicut dolores mulierem parturientem.*

Itáne peribit Mundus, ut nihil de eo maneat reliquum?

Tota machina Mundi, qualis nunc est, conflagrabit, & interibit forma. Materia vero cœlestis & terrestris, non prorsus interibit, aut abolebitur,

sed

sed à Deo immutabitur & renovabitur, ut sit & maneat domicilium beatum Angelorum & hominum electorum, ut quidam magni nominis Doctores sentiunt. Sic Psalm. *102.* v. *27*: Mutabis cœlos sicut indumentum & te mutante, immutabuntur. Esaiæ *65.* v. *17*. Ecce ego creo cœlos novos & terram novam. *2.* Pet. *3.* v. *13* Cœlum novum & terram novam, juxta promissionem ejus expectamus, in quibus inhabitet justicia.

Estne futura resurrectio mortuorum in die novissimo?

Omnino. Quia Deus ita decrevit, quod omnes mortuos in die novissimo, cum corporibus suis resuscitare & vivificare velit. [*Est q; hic lætissimus finis & portus universæ vitæ ac fidei nostræ, omniq; consolationis nostræ caput, quod non tantum ad hanus ærumnosæ & mortalis vitæ miserias conditi sumus, nec prorsus extinguimur morte, sed quod*

animæ nostræ verè post mortem superstites, & beatæ cum Deo vivunt, & corpora nostra in morte obdormientia, statuto tempore certò revictura, & rursus domicilia animarum nostrarum futura sunt, ut anima & corpore restituti, in cœlesti consuetudine, conspectu Dei, ejusq; sapientia, justitia, vitæ & lætitia perpetuò fruamur.

Ideo rectè dixit Tertullianus: Fiducia Christianorum, resurrectio mortuorum. [Tertull. de resurrectione carnis.]

Quibus testimoniis probas resurrectionem mortuorum?

Testimonia manifesta sunt. Iob. *19. v. 25. Scio, quod Redemptor meus vivit, & in novissimis de terra resurrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo* DEVM.

Esai. 26. vi. 9. Vivent mortui tui, & cum cadavere seu corpore suo resurgent. Expergiscimini & lætamini, qui habitatis in pulvere, quia ros tuus erit velut ros pratorum, & terra mortuos ejiciet.

Ezech.

Ezech. 37. v. 19. Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulcris vestris populus meus, & dabo spiritum meum in vobis, & vivetis. Dan. 12. v. 2. Multi de his, qui in pulvere terræ dormiunt, evigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium sempiternum.

Iohan. 5. v. 28. veniet hora, cum omnes, qui sunt in sepulcris, audient vocem Filij hominis. & prodibunt, alij in resurrectionem vitæ, alij in resurrectionem judicij. Iohan. 6. v. 40. Hæc est voluntas eius, qui misit me, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in die novissimo, Iohan. 11. v. 25. Ego sum resurrectio & vita. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet & quicunq; vivit & credit in me, non morietur in æternum.

Quod est fundamentum, quæ causa futuræ resurrectionis mortuorum?

Glorioſa reſurrectio Filii Dei, Domini & Liberatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui ex morte reſuſcitatus, de peccato, morte, inferno, & Diabolo triumphavit, & omnibus fide ad ipſum confugientibus, lætiſsimam reſurrectionem ad vitam beatam & immortalem meruit, Ideo Paulus *1. Cor. 15.* v. *13.* & ſeqq. Multis graviſſimis argumentis reſurrectionem Chriſti confirmat, & firmiſſimè concludit: *Si Chriſtus reſurrexit & nos reſurgemus.*

Quis mortuos homines reſuſcitabit in die noviſsimo?

Tota divinitas, Aeternus Pater, Filius & Spiritus ſanctus, juxta dicta Iohan. *5.* v. *21. Sicut Pater ſuſcitat mortuos, ita Filius, quos vult, vivificat.* Rom. *8.* v. *11. ſi Spiritus ejus, qui* IESVM *reſuſcitavit ex mortuis habitat in vobis, is qui Chriſtum reſuſcitavit ex mortuis, etiã vivificabit mortalia veſtra corpora, propter ſpiritum inhabitantem in vobis.*

Sæpè

Sæpè autem Filio Dei & hominis resuscitatio mortuorum tribuitur, quia placuit æterno Patri, ut redemtionem hominum, ita resurrectionem eorundem, per Filium administrare & perficere. Ideo, Ioh. 5. v. 28. dicitur: *Mortui audient vocem Filii hominis, & prodibunt.* Et Filius ipse inquit, Ioban. 6. v. 40. *Ego suscitabo eum in novissimo die.*

Qui resurgent in die novissimo?

Omnes homines, qui ab initio mundi usq; ad ejus finem mortui, & in pulverem redacti fuerunt, resurgent cum corporibus suis, sive boni, sive mali, justi vel injusti fuerint, Matth. 25. v. 23. *Congregabuntur ante Filium hominis omnes gentes.* Iohan. 5. v. 28. *Omnes, Qui in monumentis sunt, audient vocem Filii hominis, & prodibunt, qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala, in resurrectionem judicii.* Actor. 23. v. 15. *Futura est resurrectio*

mortuorum, iustorum simul & iniustorum Iob. *19. v. 26. Rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea Deum videbo.* Et Ecclesia in symbolo fatetur: *Credo resurrectionem carnis.*

Quid fiet de iis, qui vivi reperiuntur in die novissimo?

Certum est, hominibus adhuc in terra viventibus, Filium Dei ad iudicium venturum esse, ut ipse testatur, *Matt. 24. v. 34. Amen dico vobis, non transibit hæc ætas, donec omnia hæc facta fuerint.* Qui igitur vivi deprehenduntur in adventu Filij Dei, subito immutabuntur, & hæc immutatio morti similima, vel mors quædam subita futura est, qua vivi cum mortuis resuscitatis repentè, in novum statum, à priori diversú transferentur, vt Paulus 1. Cor. *15. v. 51.* testatur: *Mysterium vobis dico, Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur in puncto temporis, in ictu oculi, extrema tuba sonante.*

Quomo-

Quomodo & quo ordine fiet resurrectio mortuorum?

Modus & ordo resurrectionis, Ioh. 5. 1. Cor. 15. 1. The. 4. describitur: *Ipse Dei & hominis Filius, Dominus noster Iesus Christus, in die novissimo apparebit, & se in humana natura à nobis assumta, visibiliter conspiciendum exhibebit, in nubibus cœli, cum majestate & gloria magna præcedente eum igne, quo cœlum & terra conflagrabunt & turbine seu tempestate terribili, aut tonitru vehementi, seu tuba Archangeli, & voce Filij Dei, quam mortui in sepulchris exaudientes, subitò cum corporibus suis resurgent, & ab Angelis sanctis colligentur, Matth. 13. v. 4. & 24. 31. Qui verò vivi reperientur, subito immutabuntur, ut immortalitatem induant, & simul cum mortuis resuscitatis rapientur ad tribunal Filii Dei judicis, ut omnes de factis propriis rationem reddant.* Nos, inquit Paulus *1. Thessal. 4. vers. 15. qui vivemus,*

& reſidui erimus in adventu Domini, non præveniemus eos, qui obdormierunt. Sed mortui in Chriſto reſurgent primùm. Deinde nos, qui vivemus & reſidui erimus, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obviam Domino in aera, & ſic ſemper cum Domino erimus.

Qualia futura ſunt corpora piorum reſuſcitatorum?

Quatuor communes omnium beatorum reſuſcitatorũ qualitates ſeu dotes erunt, quas Paulus *1.*Cor.*15.*v. *42.* recenſet, & antitheſi mortalitatis, ſordium, infirmitatis & fragilitatis, quam in hac vita circumferunt, pulcerrimè illuſtrat: *Seminatur in corruptione, reſurget in incorruptione: Seminatur in ignominia, reſurget in gloria: Seminatur in infirmitate, reſurget in potentia: Seminatur corpus animale, reſurget corpus ſpirituale. Sicut portavimus imaginem terreſtris Adami, ita portabimus imaginem cœleſtis Adami.* Et Philip. *3.* Paulus

dulciſſi-

dulcissimè inquit: IESVS Christus *Salvator noster, quem de cœlo expectamus, transformabit corpus nostrum humile, ut corpori ipsius glorioso conforme fiat.*

Qualia futura sunt corpora impiorum resuscitatorum?

Incorruptibilia quidem futura sunt, sed nulla gloria ornabuntur, verùm ignominia perpetua afficientur, cùm sint vasa iræ apparata in cõtumeliam, & unà cum animabus, æternis gehennæ cruciatibus subjicientur, juxta d[illegible] *maledicti in ignem æternum, qui diabolo & angelis ejus paratus est.*

Qui errores de hoc Articulo damnandi & fugiendi sunt?

Primùm, Aristotelis & aliorum Philosophorum, qui Mundum ab æterno extitisse, & perpetuo sine fine duraturum esse senserunt.

Deinde, Epicuræorum veterum, qui Mundum casu extitisse, & casu

inter-

interire: homines vero, ut pecudes cum anima & corpore, per mortem extingui senserunt.

Tertiò Saducæorum in populo Iudaico, qui simpliciter fuerunt Epicuræi, & animas cum corporibus in more extingui, nullamq; resurrectionem mortuorum futuram esse crediderunt Mat. 22. v. 33. Act. 23. v. 8.

Horum similes sunt Epicuræi recentes in regno Pontificio, & cœtu Christianorum, quos Petrus 2. Epist. 3. v. 3. nominat [illegible] seu illusores & derisores.

Quartò, Hymenæi & Phileti, qui Pauli tempore, 2. Tim. 2. v. 15. Resurrectionem tunc fieri dixerunt, cum homines in hac vita ad Deum convertuntur. Ideoq; carnis resurrectionem negantes, spiritualem animæ resurrectionem, quæ fit in conversione, tantùm crediderunt. Eandem opinionem postea Simoniani,

Valen-

Valentiniani, Marcionitæ, & Manichæi defenderunt, aſpernati carnem, ſicut & ipſum Dominum carnis, ut Tertullianus inquit.

[*Tertullian. lib. de reſurrectione carnis.*]

Quintò, Origenis, qui impiorum reſurrectionem negavit. Et quamquam piorum reſurrectionem confeſſus fuit; tamen non ejuſdem naturæ & ſubſtantiæ, ſed ætherea, & planè ſpiritualia corpora reſuſcitatorum forè diſputavit, quæ nec oculis cerni, nec tactu percipi poſſint.

Locus XXV.

DE EXTREMO IUDICIO ET VITA æterna.

Eſtné futurum judicium univerſale poſt reſurrectionem mortuorum?

Maximè.

MAximè. Quia Deus ita decrevit, quod omnes homines resuscitatos in die novissimo ad iudicium vocare velit. [*Est autem hæc præcipua & firmissima consolatio omnium piorum, quod non frustra differuntur præmia iustitiæ & pœna scelerum, sed quod certo futurum est judicium, in quo piis amplissima præmia distribuentur, impii verò æternis pœnis afficientur, ut Paulus 2. Thessa. 1. v. 5. dulcissimè confirmat: persecutiones & afflictiones vestræ sunt indicium justi judicij Dei. siquidem justum est apud Deum, reddere affligentibus vos afflictionem, vobis autem, qui affligimini, relaxationem nobiscum.*

Quibus testimonijs probas, certò fore judicium universale?

Testimona manifesta sunt: Enoch Patriarcha septimus ab Adam, qui vivus cum corpore suo in cœlum translatus est, in Epistola Iudæ testatur, v. *14. Ecce venit Dominus cum sanctis millibus suis, ut faciat judicium de*

omnibus

omnibus operibus impietatis ipsorum, quibus impiè egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra Deum impii peccatores.

Psal. 9. v. 8. Dominus paravit ad judicium thronum suum, & judicabit orbem terræ in æquitate, judicabit populum suum in justicia.

Ecclesiast. 12. v. 14. Deum time, & mandata eius serva. Hoc est præcipuum omnibus hominibus, quia cuncta quæ fiunt, adducet Deus in judicium, etiam occulta, sive bona, sive mala.

Esai. 66. v. 15. Ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ eius. In igne Dominus judicabit, & in gladio suo omnem carnem. Iohan. 5. v. 28. Qui in sepulcris sunt, prodibunt, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui vero mala, in resurrectionem judicij.

Rom. 2. v. 5. Thesaurizas tibi ipsi iram in die iræ, & relevationis iusti iudicij Dei, qui reddet unicuiq; secundum opera sua.

Rom. 14. v. 10. Omnes sistemur ante

tribunal

tribunal Christi, & quilibet ex nobis de seipso rationem reddet Deo.

2. Cor. 5. v. 10. Omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi, ut reportet unusquisq; juxta id, quod fecit in corpore, sive bonum, sive malum.

Quis futurus est judex in judicio universali?

Judex vivorum & mortuorum, verax, justus, & καρδιογνώστης, erit ipse Dei & hominis Filius, & Dominus noster Iesus Christus, pro nobis judicatus crucifixus & resuscitatus, qui in natura humana â se assumta, omnibus hominibus piis & impiis in judicio apparebit. [*Nam visibile judicium immediatè fiet per Filium, qui in visibili forma naturæ humanæ se conspiciendum præbebit omnibus hominibus bonis & malis. Iohan. 5. v. 22. Pater non judicat quenquam, sed omne judicium dedit Filio, & potestatem ei dedit, ut faciat judicium, quia Filius hominis est. Actor. 10. v. 42.*

Christus

Christus præcepit nobis prædicare populo, & attestari, quod ipse sit definitus à Deo judex, vivorum & mortuorum. Actor. 17. v. 31. Deus statuit diem, quo judicabit orbem in justitia per eum virum, quem designavit. 2. Tim. 4. v. 1. Dominus noster Iesus Christus judicabit vivos & mortuos, cùm apparebit in regno suo.

Qua pompa Christus veniet ad judicium universale?

Christus judex vivorum & mortuorum in die novissimo, visibiliter apparebit in nubibus cœli, cum majestate, potentia & gloria magna, stipatus multis millibus sanctorum Angelorum, præcedente eum igne & turbine obvia cuncta inflammante, quo cœlum & terra soluta liquescent, & omnes creaturæ rationis expertes conflagrabunt. In hac horribili tempestate & turbine ac fragore tonitruum & fulminum vehementissimo, omnes homines dormientes in-

sepulcris, audita voce Filii hominis & tuba Dei, evigilabunt & resurgent. Cæteri vero, qui inter vivos superstites erunt, subitô, & in momento oculi, in novam & immortalem vitæ conditionem immutabuntur, ut cum mortuis resuscitatis unà ad tribunal Christi iudicis sistantur. Hæc pompa amplissimis verborum & figurarum luminibus describitur, Matth. 24. Luc. 21. Dan. 7 2. Thes. 1. 1. Thess. 4. 2. Pet. 3. 1. Cor. 15. pene per tota cap.

Qui erunt assessores Christi iudicis?

Assessores Christi in iudicio, & amici præcipui, erunt Apostoli & reliqui sancti, non iudiciali potestate, quæ soli Christo data est, sed testificatione, & ministerio eius doctrinæ, quam in hac vita prædicarunt & confessi fuerunt, ut Christus Lucæ 22. v. 30. Apóstolis promittit: *Sedebitis in*

regno

regno meo super thronos, judicantes duodecim tribus Israel, seu totum genus humanum.

Et Paulus *1. Corinth. 6. v. 2.* inquit: *An nescitis, quod sancti judicabunt Mundum? An nescitis, quod Angelos seu diabolos iudicabimus?*

De doctrina vero Christus Iohan. *12. v. 48.* inquit: *Sermo, quem locutus sum, iudicabit eos in novissimo die, ut impii videntes gloriam sanctorum, merito ob contemptum doctrinæ, & ministerii ipsorum, se damnari agnoscant.* Sap. *3. v. 4.* &c. *5. v. 2.*

Quis erit processus, & quæ forma iudicii?

In illa celeberrima panegyri, seu conventu universali totius generis humani, qui in die novissimo futurus est, Christus Iudex pro tribunali sedens, non pro more judiciorum civilium, interrogatione factorum, & examine testium, causas discutiet: Sed

cum sit καρδιογνώστης secreta cordium & omnium hominum cogitationes, studia, consilia, dicta & facta quantumvis occulta, producet in lucem, & attestante ipsorum conscientia, justum de illis judicium instituet, separabit bonos à malis, ut æternum discrimen inter eos conspiciatur, bonos velut oviculas sanguine ipsius aspersas & vestimento justitiæ ipsius indutas, ad dexteram suam: [*Matth. 25.*] Malos velut hircos fœtentes, & omnium scelerum turpitudine conspurcatos, ad sinistram statuet, tandemq; sententiam definitivam singulis pronunciabit, quæ subito in executionem veniet, & in omnem æternitatem nunquam mutabitur. Ita Christus ipse processum & formam judicii sui describit Matth. *25.* v. *31.* usq; ad finem cap.

Quæ erit norma & regula judicij?

Norma

Norma & regula judicij simplex, plana, certa & immota, ad omnes homines, sine ulla προσωπολημψία, æqualiter pertinens, disertis & claris verbis expressa est Iohan. 3. v. 16. in dicto, quod summam evangelij complectitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat sed habeat vitam æternam. Qui credit in Filium non judicatur: Qui verò non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomen unigeniti Filii Dei.*

Quæ erit sententia definitiva judicii?

Sententiam definitivam, quæ normæ & regulæ jam dictæ velut fundamento innititur, Christus ipse recitat, Matth. 25. versu 34. cùm testatur, se bonos & justos ad dextram suam collocatos, amantissimè compellaturum esse: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, paratum vobis à jactis*

fundamentũ Mundi. De malis vero, & injustis ad sinistram collocatis, gravissimè confirmat, quod hanc terribilem vocem, velut fulmen horrendum, contra ipsos editurus sit: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui diabolo & Angelis eius paratus est.*

Quare Christus in sententia sua definitiva tantopere prædicat bona opera:

Esurivi & dedistis mihi cibum? &c.

Non ut bona opera meritum vitæ æternæ esse doceat, quæ est donum Dei gratuitum in Christo Iesu Domino nostro, Rom. 6. v. 23, sed ut fidem piorum commendet, quam operibus bonis, velut fructibus, declararunt. Cum enim fides in Christum, qua sola justificamur & salvamur, non incurrat in hominum oculos, sed soli Deo cognita sit: Iudicium vero futurum sit visibile, & toti generi humano conspicuum: Christus opera

chari-

charitatis, velut fructus & testimonia veræ fidei in corde latentis, prædicat, & præmia ampliſſima piis, ſanguine ipſius ſanctificatis, in vita æterna promittit, ut Paulus etiam inquit, 1. Tim. 4. v. 8. Pietas ad omnia utilis eſt, habens promiſſiones præſentis & futuræ vitæ.

Quæ erit executio ſententiæ definitivæ?

Quamprimum ſententia definitiva à Chriſto Iudice juſtiſſimo pronunciata & promulgata fuerit, è veſtigio nulla dilatione aut appellatione, vel alia exceptione interpoſita, executio ſequetur, videlicet, piorum liberatio conſummata, & eorundem translatio ad vitam & gloriam ſempiternam. Impiorum vero damnatio, & abjectio eorundem in pœnas & cruciatus æternos juxta dictum Matt. 25. v. 45: ſententiæ definitivæ annexum: Ibunt juſti in vitam æternam, injuſti vero in ſupplicium æternum.

Quid est vita æterna?

Est beatitudo piorum æterna, & requies ac gloria cœlestis, sententiam definitivam judicii extremi certo secutura, in qua pii receptis corporibus suis glorificatis, omnium malorum expertes, & penitus ab omni peccato liberati, ipso Deo omnium bonorum uberrimo fonte & thesauro, perfectè fruentur, eiusque luce, sapientia, justitia, & lætitia immediatè perfundentur, & æternum Patrem Conditorem generis humani, & redemtorem ac fratrem nostrum Filium Dei, & Spiritum sanctum coram videntes, essentiam & voluntatem eius sine ulla caligine perspicient, & causas consiliorũ ac mirabilium operum Dei, penitus cognoscent, & pectus æterni Patris introspicientes, eiusq; ardentem & inenarrabilem amorem, quem misso filio declaravit, cum admiratione, & lætitia ineffabili sentientes, vicissim ar-

denter

denter eum amabunt, ejus voluntati cum gaudio & alacritate summa se subjicent, in eo uno & solo, tanquam summo bono, suavissimè acquiescent & cum omnibus Angelis sanctis, totaq; Ecclesia cœlesti, cum filio DEI, Prophetis, Apostolis & excellentibus doctoribus, suis etiam Parentibus piè defunctis, liberis, Præceptoribus, amicis & aliis beatis, familiariter conversantes, se mutuò agnoscentes communi voce & grata mente DEUM patrem, unà cum Filio IESU CHRISTO, & Spiritu sancto, pro summis in se collatis beneficiis, in omni æternitate celebrabunt, ut Psa. 84. v. 5. scriptum est: *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.*

Quibus testimoniis probas secuturam vitam æternam?

Testimonia manifesta sunt: Esai. 66. versu 22. Sicut cœli novi & terra

nova, dicit Dominus, sic stabit semen vestrum & nomen vestrum coram me, Et erit mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato, & veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea, dicit Dominus. Daniel. 12. v. 2. Dormientes in pulvere terræ, evigilabunt, alii in vitam æternam. Matth. 25. v. 46. Ibunt justi in vitam æternam. Iohan. 3. v. 16. ut omnis, qui credit in Filium, non pereat sed habeat vitam æternam, Iohan. 10. v. 28. Ego vitam æternam do ovibus meis, nec peribunt in æternum. Iohan. 2. v. 25. Hæc est repromissio, quod nobis pollicitus est vitam æternam. Enoch & Elias vivi translati sunt ad Deum. Hæc facta, sunt manifesta testimonia vitæ æternæ. Nam si extinguerentur, non essent apud DEUM. Versari enim apud Deum, est, vivere quadam divina vita apud DEUM.

Quid

Quid est damnatio æterna, seu ignis æternus?

Est in impiis sensus horrendæ iræ Dei adversus peccata, & tristissimus pavor, confusio, fuga, fremitus, indignatio, morsus ac cruciatus conscientiæ ex scelerum suorum, toti jam mundo patefactorum recordatione ortus, & tristissimo fulmine iræ divinæ inflictus, quod impii se à Deo in æternum cum Diabolis abjectos, & illius iram horrendam in se effusam sentientes, omnemq; turpitudinem & malitiam suam cunctis Angelis & hominibus demonstratam, & occasionem effugiendi pœnas æternas, moresq; emendandi, in hac vita neglectam, & pios homines æterna lætitia & gloriæ apud Deum fruentes, una cum ministerio verbi divini, à se spretos esse, agnoscentes, carnalem suam securitatem, & impœnitentiam finalem, inter in-

gentes cruciatus animæ & corporis, cum horribili lamentatione, ejulatu & planctu deplorabunt, & in perpetuo luctu, angore, tremore, pudore, ignominia, stridore dentium, fuga, & desperatione succumbentes, singulis momentis dolores & cruciatus suos in anima & corpore, morte abrumpi, & se in nihilum redigi posse, frustrà optabunt, ut Apoc. 9. v. 6. scriptum est: *Cupient mori, & mors fugiet ab eis.*

Quibus Testimonijs probas damnationem impiorum æternam, & ignem æternum?

Testimonia manifesta sunt:

Psal. 11. v. 6. Pluet super impios ignis & sulphur & spiritus procellarum pars calicis eorum.

Esa. 66. v. 24. Egredientur & videbunt cadavera eorum, qui prævaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, & ignis

eorum

eorum non extinguetur, & erunt usq; ad satietatem visionis omni carni.

Matth. 5. v. 22. Qui dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis.

Matth. 25. v. 30. Inutilem servum projicite in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentium: Item, v. 14. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus. Apocal. 19. v. 20. & 20 v. 14. Præcipitabuntur in stagnum ignis & sulphuris, quæ est mors secunda.

Quomodo nos comparemus, ut vitam æternam piorum consequamur, & pœnas æternas impiorum effugiamus?

Primò sit in nobis ardens studium audiendi & discendi doctrinam divinitùs traditam, cum pio & legitimo Sacramentorum usu conjunctum, juxta dictum, Lucæ. 16. vers. 29. *Habent Mosen & Prophetas, audiant illos.*

Deinde, vivamus in timore Dei,

& suscipiamus seria exercitia veræ pœnitentiæ ut in agnitione peccatorum nostrorum, fide confugiamus ad misericordiam Dei in Filio promissam, & vitam nostram universam juxta normam verbi divini instituamus, memores præcepti: *Agite pœnitentiam, quia appropinquat regnum cælorum, Matthæi. 4. v. 17.*

Tertio, singulari studio vitemus scelera & scandala, quæ juxta prædictiones Filii Dei & Apostolorum, in fine Mundi magno numero grassatura sunt: Luxum, ebrietatem, avaritiam, securitatem carnalem, Epicuræum contemtum judicii divini, &c. nec exemplo maximæ multitudinis seduci nos patiamur, ut similibus sceleribus & scandalis nos polluamus. *Cavete*, inquit Filius Dei, Lucæ *21. v. 34. ne corda vestra graventur crapula & ebrietate, & curis vitæ hujus, & repente super vos veniat dies ille.*

Quartò,

Quartò, Ardenti zelo amplectamur & exerceamus virtutes contrarias, temperantiam, frugilitatem, timorem Dei, vigilantiam, sobrietatem & constanter urgeamus cursum veræ pietatis, juxta præceptum, Luc, 21. v. 11. *Vigilate omni tempore. 2. Pet 3. v. 11. Oportet vos esse in sancta conversatione, & studio pietatis, expectantes adventum diei Domini, & ad eum properantes.*

Quinto, Assidue invocemus Deum, ut harum virtutum studium, & desiderium vitæ æternæ, in nobis accendat, in curriculo pietatis Spiritu sancto suo nos regat & confirmet, & Ecclesiæ suæ mitiget calamitates, quæ finem Mundi antecessuræ sunt, juxta dictum, Matth 26. v. 41. *Vigilate & orate, ne intretis intentationem Luc, 21. v. 36. Orate ut digni sitis effugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare coram Filio hominis.*

Deniq; sic vivamus, ut singulis

momentis expectemus glorioſum ad ventum Filij Dei ad judicium, & coram ipſo in fide vera & bona conſcientia læti compareamus, ut Paulus præcipit, Tit. 2. ver 12. *Iuſtè & piè vivamus in hoc ſeculo, expectantes ſpem beatam, & apparitionem gloriæ magni Dei, & Salvatoris noſtri IeſuChriſti. Et Petrus: Cariſſimi date operam, ut immaculati & irreprehenſibiles coram Domino reperiamini in pace, 2. Pet. 3. ver. 14.*

Qui errores de hoc articulo fugiendi & damnandi ſunt?

Primum Iudæorum, Calviniſtarum, & Pepuſianorum, qui regnum Chriſti & ſanctorum, poſt reſurrectionem per mille annos in terris duraturum, & politicam potentiam ac gloriam habiturum eſſe ſomniarunt. Similia ſomnia hodiè circumferunt Anabaptiſtæ & Turcæ.

Deinde

Deinde Pontificum Romanorum, qui cum suo satellitio non solum prædictionem de extremo judicio & de pœnis impiorum æternis, tanquam anilem fabulam deridentes, sed etiam ex Platonicis, & Origenicis deliramentis, putidum figmentum de purgatorio animarum apud Inferos extruunt ac defendunt, de quo in tota veteris & novi Testamenti scriptura Canonica, nullum testimonium, nullumq; exemplum fide dignum extat.

Tertio Epicuræorum recentium in orbe Christiano, qui à Petro ἐμπαῖκται nominantur, & in hac ultima & effœta senecta Mundi fatiscentis, non solùm juxta proprias cupiditates ambulant, sed etiam impudenti ore dicunt: *Vbi est promissio adventus ejus? Ex eo enim tempore, quo Patres obdormierunt, omnia sic permanent ab initio creaturarum, 2. Pet. 3. ver. 4.*

Nos

NOS vero divinis testimoniis edocti & confirmati, certò scimus Filium Dei rediturum ad judicium, & ut nos resurrectionis sanctorum suorum ac vitæ æternæ participes faciat, toto ipsum pectore precamur, ut † Polycarpus senex, Iohannis Apostoli discipulus, jam rogo impositus, ardenter precatus fuit. Amen.

† *Euseb. lib. 4. Historiæ Eccles. cap. 15.*]

NOTA-

NOTATIO.

LIBRORVM, FOLIORUM AC VERSUUM

ubi extant præcipui errores, qui in Antitheſi ſingulorum Locorum recenſentur.

IN PRIMO LOCO.

Fol. 9. §. Primum fanaticorum, &c.

Zvvinglius in libro, cui titulus eſt: Chriſtianæ fidei expoſitio ad Chriſtianum Regem.

Fol. 10. § Tertio Anabaptiſtarum & Enthuſiaſtarum &c.

Schvvenckfeldius in Tomis ſuis, & aliis chartis hinc inde diſperſis.

IN SECUNDO LOCO.

Fol. 20. §. Primum Ethnicorum, &c.

Vide de his Antitheſibus ſcripta veterum Poetarum & Philoſophorum, Hiſtoriam Eccleſiaſticam, Acta conciliorum, Impia decreta Pontificum Romanorum & rancidos libros Monachorum.

IN TERTIO LOCO.

Fol. 27. §. Contra Manichæos veteres & recentes &c. 15.

Matthia

Matthias Flacius Illyricus in secunda parte Clavis suæ.

Cyriacus Spannenberg. in VVinckii Catechismo, & alibi in Flacianis suis chartis.

Fol. 27. §. Non naturæ divinæ respectu &c. v. 8.

Daniel Tossanus Im Bericht / Von verbesserung der Kirchen vnd Schulen in der Churfurstlichen Pfaltz

Bremenses in sua Apologia, T. 2.

Beza & socii ejus in Colloquio Mompelg. pag. 25 Item in prima responsione ad acta Colloquii Mompelg. pag 21. 87. 113. & multis sequentibus.

Fol. 55. §. Primum Ebionis &c.

Bequinq; prioribus Antithesibus vide Historiam Ecclesiasticam & acta Synodorum.

Fol. 56. v. 6. Orthodoxus consens. fol. 105 Iesuitæ in suis Thesibus Ingolstad. impressis.

Collocutores in Colloq. Mompelg. pag. 210. in responsione ad 18. &. 19. Thesin.

Fol. 59. v. 8. Collocutores in Colloq Mompelg. pag. 205.

Iesuitæ in prædictis Thesibus.

Admonitio Palatinorum de libro Concordiæ, pag. 66.

Versu

Vers. 9 Collocutores In colloquio Mompelgart. fol. 213.
Orthodoxus consensus multis in locis.
Zwvinglius in scriptis contra Lutherum.
Versu 7. Collocutores in colloquio Mompelgart. fol. 206. de dicto: Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra.
Beza in prima responsione ad acta colloquii Mompelgart. pag. 21. & 27. & multis sequentibus.
Fol. 39. v. 16. Leo Episcopus Romanus id expresse testatur Epistola 22. §. Dicant adversarii veritatis &c.
Versu 20. Orthodoxus consensus fol. 118. primæ editionis. Idem in sua præfatione.
Neostadiani in admonitione de formula Concordiæ.
Beza & socii ejus in colloq. Mompelgart. fol. 366.
Versu 22. Palatinus Kednadon in suo dial
Bremenses in sua Apologia.
Tossanus Im Bericht von verbesserung der Kirchen vnd Schulen / in der Churfürstlichen Pfaltz.
Fol. 67. §. Meritò reprehendendus est Calvinus &c. Calvinus in suo commentario in Genesin. pag. 29.

IN

IN IV. LOCO.

Fol. 72. §. Suntné Angeli creati, &c.

Chrysostomus in Panegyrico de Angelis primo.

Dionysius de divinis nominibus cap. 4. & sequentibus.

Petrus Lombardus lib. 2. dist. 2.

Fol 80. Tertiò Aristotelis, &c.

Aristoteles in lib. 8. φυσικῆς ἀκροάσεως multis argumentis confirmare vult, Mundum esse æternum.

Ibidem, Quintò, Manichæorum & Flacianorum.

Vide horum portentosas opiniones in loco VI. de Peccato inter Antitheses, quæ ibi recensentur.

IN VI. LOCO.

Fol. 105. §. Deinde Manichæorum veterum & recentium &c.

Flacius Illyricus in secunda parte Clavis suæ, fol. 483. 488. Idem in demonstrationibus suis evidentibus, fol. 78.

Cyriacus Spangenbergius in brevi Confessione germanica, in doctrina Catechetica, in scriptis adversus Islebienses & Accidentarios.

Ibidem

Ibidem, 106. § Tertiò, Stoicorum &c. Versu 21.

Calvinus in Instit. lib. 3. cap. 23. sect. 7.
In Commentario in Genesin, cap. 3.
Beza in colloq. Mompelgart. fol. 525. 527.
Hieron. Zanchius in Epistola ad Christophorum Pezelium. Idem in Miscellaneis, fol. 252.

Fol. 81. §. Quartò, Antinomorum & Sacramentariorum &c.

Beza in Colloquio Mompelgart. pag. 463. Item in altera parte responsionis ad Acta colloquii fol. 81. 82. & sequentibus.

Fol. 107. Quinto. Discrimen inter peccatum mortale & veniale &c.

Beza in colloq. Mompelg. fol. 465. Item in altera parte responsionis ad acta colloq. pag. 73.
Ibidem 3. Calvinus Inst. l. 4. cap. 15. sect. 22. Item lib. eod. cap. 16. sect. 24.
Item in lib. eod. cap. 16 sect. 15.
Item in libro do vera Ecclesiæ reformatione, tractatuum Theologicorum, fol 454.
Item defensione secunda contra VVestphalum de Sacramentis.
Beza in colloq. Mompelgar. fol. 492. 499. Item in altera responsionis ad acta colloquii fol. 129. 130.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778722015/phys_0457
DFG

IN VII. LOCO.

Fol. 118. § Quintò Flacianorum &c.

Flacius Illyricus in secunda parte suæ Clavis.

Item in disputatione Vinariensi.

Vide similia in loco 4 de Creatione.

IN VIII. LOCO.

Folio 128. §. Qui errores de Evangelio.

Christophorus Pezelius Tom. 6. declamationum VVitebergensium.

Altorfenses Theologi in disputatione de Evangelio, habita Anno 1588.

Folio. 129. §. Quartò, Calvinistarum &c.

Hieronymus Zanchius in Miscelaneis lib. 2. pap. 73.

Calvinus institut. lib. 3. cap. 44. sect. 15.

Beza & socii ejus in colloq. Mompelg art. pag. 510. 511-518. & in secunda parte responsionis ad acta colloq.

IN IX. LOCO.

Fol. 141. §. Tertiò Enthusiastarum &c.

Andreas Osiander in lib. edito adversus Philippum.

Ibidem §. Franciscus Stancarus in fanati-

cis suis chartis, quas refutavit D. Philip. Ibid §. Alii certum monumentum Iustificationi, &c. VVigandus & reliqui collocutores in colloquio Aldenburgensi, Anno 1568. & 1569.

IN XI. LOCO

Fol. 174. §. Primùm, fanaticorum &c.

Tales fuerunt ætate nostra, Tammerus, Latomus Lovanienſis, VVilhelmus Postellus.

Zvvinglius in expositione fidei Christianæ ad Regem Christianum.

IN XII. LOCO.

Fol. 145. §. Deinde Enthusiastarum &c.

Calvinus Instit. lib. 4. cap. 14. sect. 27

Grynæus in disputatione Heidelbergensi, Thes. 16. 17. Idem Thes. 6

Caspar Schvvenkfeldius in libro contra Fabrum.

Beza in altera parte responsionis ad acta colloquii Mompelgart. pag. 115. 116. 117. & sequentibus.

IN XIII. LOCO.

Fol. 189. §. Tertiò, Anabaptistarum, &c.

Calvinus lib. 4. cap. 14. Sect. 17.

Beza

Beza in glossa Novi Testamenti Acto. 10. Item in prima parte responsionis ad acta colloquii Mompelg. Item in placido & modesto responso ad arg. Brentii.
Orthodoxus Consensus fol. 63.
Zacharias Vrsinus in compend. pag. 506.
Admonitio Palatina de libro Concordiæ. pag. 442.

IN XIIII. LOCO.

Fol. 221. §. Quòd Baptismus propriè loquendo non sit lavacrum regenerationis, &c.

Zacharias Vrsinus in Compend. pag. 532.
Beza in colloq. Momp. pag. 445. 446.
Item pag. 433. 434. Item in prima parte Responsionis ad Acta colloquii.
Item in parte altera.
Ibid. 6. 7. Beza in colloq. Mompe. fol. 434. Item in præfatione primæ responsi. ad acta colloq. fol. 24.

Ibid. §. Quod regeneratio in ipso actu Baptismi &c. fol. 170. v. 12.

Beza colloq. Mompel. pag. 478. 469. 475.

Fol. 222. §. Quòd infantes ex fidelibus parentibus in Ecclesia nati &c.

Calvinus institut. lib. 4. cap. 15. Sect. 22.

Vide plura testimonia in Loco. v 1. De peccato supra recitata.

Ibid §. Quod infantes careant fide actuali &c.

Beza in colloq. Mompe. fo. 435. 495. 459. 40. 1. Item in altera parte responsionis ad acta Colloquii pag. 129.

Fol. 223. §. Quod regeneratio & salus nostra non pendeat à Baptismo &c.

Beza in glossa Novi Testamenti Actor. 10. Item colloq. Mompelgart. fol. 435. 545.

Ibidem. §. Quòd electi, si post Baptismum &c.

Vide testimonia in Loco v 1. De Peccato supra recitata.

IN XV. LOCO,

Fol. 246. §. Deinde Zvinglianorum &c.

Heidelbergenses Theologi in excusatione Germanica novæ suæ reformationis, ubi privatam absolutionem nominant commentum Papisticum.

IN XVI. LOCO.

Fol. 267. §. Quòd verba Christi &c.

Bullingerus & Tigurini refutatione D. Ia-

cobi Andreæ, fol. 45.
Petrus Martyr in ſuo dialog. pa. 143.
Victorinus ad Vilipaldum Rambeccum.
Orthodoxus conſenſus, cap. 5. fol. 98.
Neoſtadiani in admonitione de libro Concordiæ, pag. 94.
Calvinus in formula confeſsionis pag. 24. in colloquio Maulbrunnenſi Olevianus fol. 5.
Grynæus in præfatione diſputationis Heidelbergenſis. Item Theſi 26.
Ibid. § Quòd Panis & vinum in Cœna &c.
Beza. in colloq; Mompelg. fol. 20. 21. 66.
Fol 268. §. Quòd corpus Chriſti certo loco &c.
Bexa in quæſtionibus Theologicis pag. 15.
Item Tomo 1. pag. 656. Item Epiſt. 5. volum. 8. Tractat. Theolog. pag. 204.
Vrſinus in catecheſi volum. Tract. Theolog. pag. 6262.
Calvinus in formula conſenſionis pag. 25.
Heidelbergenſes in Germanica reſponſione ad acta colloq. Mompelgart. fol. 132.
Ibidem. §. Quòd Deus ne quidem &c.
Petrus Martyr in Dialogo adverſus Brentium Bullingerus & Tigurini in reſponſi-

one

one ad defensionem Testamenti Brentii fol. 94.
Palatinus Kednadon in Dialogo de unione personali pag. 96.
Beza in colloq. Mompelgart. pag. 33.
Fol. 268 §. Quod sola efficacia &c.
Calvinus in suis institutionibus.
Petrus Martyr in suo dialogo.
Beza in colloq. Mompelgart. pag. 24.
Neostadiani in admonitione de lib. Concordiæ.
Ibidem §. Quod ore corporis &c.
Admonitio libro Concordiæ, pag. 103.
Beza in responsione prima ad acta colloq. Mompelgart pag 875. 168.
Vrsinus in compendio pag. 510. 588.
Beza in colloq. Mompelgart fol. 29.
Fol. 269. Quod præsentia corporis &c.
Beza in colloq. Mompelgart. pag. 22. 66.
Item pag. 161. 162. 163. & sequentibus.

IN XVII. LOCO.

Fol. 269. §. Quod Deus absoluto &c.
Calvinus Instituit. lib. 3. cap. 21. 22. 23. &c. seq.
Hieronymus Zanchius in misc. fol. 223.
Beza in glossa Novi Testamenti Rom. 9. in colloq. Mompel pa. 508. 504. 516 532.

Ibid. §. Quòd hoc modo ad æternam damnationem deſtinatos &c. Fol. 229. §. Quòd Deus reprobos per Evangelium non vocet &c. Ibidem §. Quòd reprobi neque velint, neque poſſint converti &c.

Hierony. Zanchius in Miſcel. pag. 229.

Item in Miſcel. de libro vitæ. pag. 227.

Beza in colloq. Mompelgart. Pag. 529. 530. de odio Dei concepto adverſus reprobos.

Fol 297. §. Quod primos parentes oportuerit labi, &c.

Præter teſtimonia ſupra in Loco VI. de Peccato allegata, ſint in conſpectu & ſequentia.

Beza volum. 1. Tractatuum Theologicor pag. 179. in colloq. Mompelgart. pag 525.

Ibidem §. Quòd Filius DEI abſoluto & arcano decreto Dei, &c.

Item §. Quòd meritum Paſſionis & mortis Filii DEI &c.

Item §. Quòd promiſſiones Evangelii non ſint univerſales &c.

Hierony

Hieronymus Zanchius in Miscel. lib. 2. pag. 280. ex loco 1. Ioh. 2. Christus est ἱλασμὸς pro peccatis:

Beza in colloquio Mompelg. pag. 513. 544. 546, 547.

Idem in secunda parte responsionis ad acta Colloquii pag. 236.

Vide disputationem D. Samuelis Huberi Tubingæ habitam 6. Feb. Anno 90. &c. in qua refutantur Tossanus, Paræus & Grynæus, similia portenta defendentes

Fol. 298. §. Quòd electi ruentes in peccata contra conscientiam &c. Testimonijs supra allegatis in Loco VI. Loco de peccato, *addantur sequentia:* Hieronymus Zanchius in disputatione de perseverantia sanctorum, inter pag. 107. usq; ad pag. 204. Idem in Miscellaneis pag. 284. in Bibliis Neostadii impressis. 2. Pet. 2 1. Iohan. 3. Luc. 22,

Ibidem §. Quod denig; de prædestinatione & electione DEI &c.

Beza in colloquio Mompelg. pag. 533. 550.

IN XIX. LOCO

Fol. 329. Quinto Calvinistarum & aliorum fanaticorum &c.

Lambertus Danæus in Examine libri Kemnicii, pag 415. & multis sequentibus, prolixè hanc blasphemiam defendit. Idem in assertione Genevæ impressa pag. 381
Beza in colloq. Momp. pag 344. 363.
Theologi Neostadiani in admonitione sua de libro Concord. pag. 79.

IN XXI. LOCO.

Fol. 351. v. 56. Vide decreta Synodi Tridentinæ, in quibus hæ falsæ opiniones de traditionibus humanis: Sicut alia portenta errorum in aliis articulis palam defendantur.

Ibidem. Deinde hominum petulantium &c.

Talis nostro tempore fuit Andreas Bodenstein Carolstatius, ut intelligitur ex scriptis D. Lutheri contra cœlestes Prophetas.

Fol. 352. §. Quartò, Zvuinglianorum & Calvinistarum &c. Exempla obvia sunt in Tragœdia nostro tempore orta in Gallia, in Belgio, & alibi, ubi ab hominibus privatis sine voluntate Magistratus, securi reformata & destructa sunt altaria & templa conniventibus Doctoribus Calvinianis.

Beza

Beza in Colloquio Mompelgar. 418. fatetur, se ex animo crucifixi imaginem detestari, & ferre eam non posse.
Petrus Viretus alibi scripsit; Per vaccam Christum crucifixum magis repræsentari, quam per imaginem vel pictam vel sculptam, Colloquio Mompelgart. pag. 466.

FINIS.

Aphorismi,

E Compendio Theologico D. IACOBI HEERBRANDI,

in Disputationibus tredecim, ad exercitium privatum propositi,

A

M. IOHANNE SCHRODERO *Treisensi Hasso,*
S. Theologiæ in Academia VVitebergensi Stud.

ANNO M D. XCIX

De

De S. Scriptura.

DISPVTATIO.

PRIMA.

In qua respondit

Generosus & illustris Dominus HENRICVS CONRADVS VVenzelyk, Baro à Sarabitz in Triescht.

THESIS I.

THEOLOGIA EST doctrina, tradens rationem adipiscendi vitam post mortem beatam.

II.

Principium & fundamentum ejus est verbum Dei; quod per Prophetas, Evangelistas & Apostolos primitus prædicatum, postmodum, ut ad Ecclesiæ institutionem & confirmationem servaretur, in literas est relatum.

III.

Et continetur in Canonicis Veteris & Novi Testamenti libris quos κατ' ἐξοχὴν vocamus Scripturam sacram.

IV.

Canonici libri sunt, quos Prophetica &

Apostolica autoritate Ecclesiæ Dei, commendatos esse è consentieneibus Veteris Ecclesiæ testimoniis constat.

V.

Sic dicti, quia κανόνα regulam θεοσεβείας Christianæ præstant; cui si quid congruit in Thelogia ratum si discrepet, ψευδοδιδασκαλία καὶ ψευδοδοξία est.

VI.

Non enim supremum in controversiis Religionis judicium est penes Ecclesiam, sed penes scripturam, cui Ecclesia adstricta est, & quæ falsa τὸ ἐξουσιαστικὸν τῶν ἀναμφιλέκτων habet.

VII.

Habet verò ab auctore suo Deo, quia est θεόπνευς, Prophetis, Evangelistis & Apostolis, Spiritus Sancti amanuensibus, cœlitus inspirata; uti non solum ex Ecclesiæ præconio sed aliis etiam κριτηρίοις & fidelibus maximè ex interna Spiritus sancti attestatione palam est.

VIII.

Eadem scriptura sacra & canonica est Perfecta Perspicua.

IX.

Illud, quia omne Dei consilium de salute nostra complectitur, ut meritò Basilius dixerit; φανερὰ ἔκπτωσις

πίστ.

πίστεως καὶ ὑπερφανίας κατηγορίαν, ἀθετεῖν τι τῶν γεγραμμένων ἢ ἐπεισάγειν τῶν μὴ γεγραμμένων.

X.

Hoc, quia illud Dei consilium ita explicat, ut, quod D. Chrysostomus Hom. 1. in Matth. ait, & servus & rusticus, & vidua & puer intelligere possint; & scitè Gregorius magnus assimilarit eam mari, in quo et Elephas natare & Agnus ambulare possit.

XI.

Quod si in singulis γνώμαις difficultates quædam objiciuntur, lucem hæ mutuantur ab aliis, quæ apertè sunt posita; adhibita Interpretatione dextra, vel ex collatione locorum planiorum in scriptura, hujusq; lingua nativa vel saltem fidei analoga.

XII.

A libris Canonicis distinguantur Apocryphi; quorum occulta origo non inclaruit patribus, ut tantæ auctoritatis testimonia consentientia & sine contradictione certa à veteri Ecclesia fuissent nacti.

XIII.

Quamobrem quod dicit Hieronymus, ad roborandas illa, quæ in contentionem veniunt, minus judicantur idonei; sed legit eos Ecclesia ad ædificationem plebis.

XIV.

Suntque, ut Canonici, Alii Testamenti veteris, alii novi.

XV.

Apocryphi Veteris testamenti sunt Tertius & Quartus Esdræ, Tobias, Iudith. Hesteræ septem postrema capita, Baruch, Hymnus trium puerorum, Historia susannæ, Belis & Draconis, Sapientia, Ecclesiasticus, & Libri Macchabæorum.

XVI.

Apocryphi Novi Testamenti sunt Epistola ad Hebræos, Epistola Iacobi, Secunda & Tertia Iohannis, Posterior Petri, Epistola Iudæ, & Apocalypsis.

Corollaria.

1. *Canones Apostolorum sunt adulterini.*
2. *Non periit in fontibus Authentica scriptura.*
3. *Sacrilegium est, quod pontificii homines de plebe à Bibliorum lectione arcent.*
4. *Vt igitur hi quoq; legant, in sermonem ipsis vernaculum vertenda sunt Biblia.*
5. *Versio vulgata, de qua, an sit Hieronymi dubitatur, merito non potest esse authentica.*

6. *Veterum librorum fides Hebræis voluminibus examinanda, novorum veritas Græci sermonis normam desiderat. Aug.*

7. *Apocryphi N. Testamenti non sunt ejusdem rationis cum Apocryphis V. Testamenti.*

8. *Pulchra fuit forma veterum Conciliorum, de qua Cusanus scribit, quod sacra Evangelia posita fuerint in medio.*

9. *Gladio Dei percutitur, quicquid absq; autoritate scripturæ, quasi Traditione Apostolica reperitur.*

10. *Potest aliquid verum esse in Philosophia, quod falsum sit in Theologia: simpliciter aliquid verum & falsum esse non potest.*

De Deo uno Trino.

DISPUTATIO SECUNDA.

In qua respondit.

M. VVolffgangus Staar
Styrus.

THESIS I.

RECtè quondam Hilarius; Certè hoc est Deus, ajebat, quod & cùm dicitur, non potest dici, cùm æstimatur, non potest æstimari; cum definitur, ipsè sua definitione crescit.

II.

Duo tamen sunt, ut docet Augustinus in Psal. 34. quæ in cognitionem Dei ducunt, Scriptura scilicet & creatura.

III.

Deus enim, ut sunt verba Ambrosii, qui natura invisibilis est, ut etiam à visibilibus posset sciri, opus fecit, quod opificem visibilitate sui manifestavit.

IIII.

Sed quia Naturalis ista κατήχησις ad salutem jejuna nimis erat, accessit patefactio ejus per verbum in scriptura; in quo ceu speculo Deum nunc cernimus; visuri eum à facie ad faciem in vita altera.

V.

Cujus summa hæc est; Deus est spiritus infinitus, æternus, omnisapiens, omnipotens, justus & bonus; Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, omnium rerum conditor, omnis boni auctor.

VI.

Estq;

Estque ut Simplicissimus; ita quoque Vnus.

VII

Illud; quia in ipso non solùm nulla vel formæ & materiæ concretio, vel partium σύνθεσις est, sed nec compositio accidentis cum subjecto, nec τὸ esse cum essentia. Ipse suum esse est; ἄυτοουσία ipse est.

VIII.

Multipliciter quidem, scribit Augustinus, lib. 6. de Trin. c. 7. dicitur magnus, bonus, sapiens, beatus, verus & quicquid aliud non indignè dici videtur. Sed eadem magnitudo ejus est, quæ sapientia; non enim mole magnus est, sed virtute. Et eadem bonitas, quæ sapientia & magnitudo, & eadem veritas, quæ illa omnia. Et non est ibi aliud beatum esse, & aliud magnum aut sapientem, aut verum, aut bonum esse, aut omnino ipsum esse.

IX.

Vnus verò est per essentiam, κατ' ἀριθμόν unam. Quæ summa est unitas, ulteriùs non divisibilis, ideoque summi entis unitas.

X.

Cæterum sic unus est, ut idem quoq; si

Trinus. Hæc enim fides est Catholica, quod Symbolum Athanasii habet, ut Vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur.

XI.

Trinus igitur est καθ' ὑπόστασιν, quæ differt ab alia τῷ εἶναι, τῷ λόγῳ vero differt ab essentia: cujus ὕπαρξιν incommunicabilem, per hunc ver illum vèl istum ὑπάρξεως τρόπον significat.

XII.

Cujusmodi Hypostases in Deo sunt tres illi, Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Quorum est, ut Damascenus scribit, lib. 1. de orthodox. fid. cap. 13. μία θεία, μία ἀγαθότης, μία δύναμις, μία θέλησις, μία ἐνέργεια, μία ἐξουσία, μία κατὰ ἀυτὴν, ἑτέρως ὁμοιαι ἀλλήλαις, ἀλλὰ μία κατὰ ἀυτὴ κίνησις.

XIII.

Vnde, ut Augustinus concludit, lib. 6. de Trin. c. ult. Singula sunt in singulis, & omnia in singulis, & Singula in omnibus, & omnia in omnibus, & unum omnia.

Pater.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778722015/phys_0476
DFG

XIV.

Pater est prima divinitatis Hypostasis, quæ gignit Filium.

XV.

Filius est secunda divinitatis Hypostasis, quæ gignitur à Patre.

XVI.

Spiritus Sanctus est tertia divinitatis Hypostasis, quæ à Patre Filioq; procedit.

COROLLARIA.

1. *Deus melius scitur nesciendo aug.*

2. *Genus συνώνυμον Deo tribui nullum potest.*

3. *Deus nec maior in magno, nec minor in minimo. Id.*

4. *Non est aliquid in Deo, quod non sit Deus.*

5. *Pater non est unus, sed unitate cum Filio, Id.*

6 *Semper gignit Pater, & semper nascitur Filius. Id.*

7. *Malè Theophylactus: Latini, inquit, minus rectè intelligentes, dicunt quod Spiritus etiam ex Filio procedat.*

8. *Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus S. est Deus: nec tamen tres sunt Dii, sed unus est Deus.*

9. *Pater est prior filio τάξει, non tempore.*

10. *Aper-*

10. Aperte tunc videbimus, quomodo & unum divisibiliter tria & tria Indivisibiliter unum sunt Gregor. in Mor.

De Christo.

DISPUTATIO TERTIA.

In qua respondit.

M. Iohannes Melfurer

Culmbacensis Fr.

THESIS I

PRopter nos & nostram salutem, ut habet Nicenum Symbolum, persona Trinitatis secunda, Verbum, quod sine tempore in principio erat apud Deum, & Deus erat, ἀπαθῶς, ut loquitur Damascenus, τὸ ἀπαθὲς αὐτὸ ὕψος, ταπεινώσεως, descendit & factus est homo.

II.

Non equidem κατὰ φυρμὸν vel σύγχυσιν, vel σύγκρασιν, ut fingebat Eutyches, nec κατὰ παράθεσιν vel σχέσιν vel ἀξίαν vel ταυτολογίαν vel ὁμοπιείαν vel ὁμωνυμίαν vel εὐδοκίαν, ut recensente Damasceno, putabat Nestorius: Verum per unionem Hypostaticam.

Vnio

III.

Vnio Hypostatica est, qua Filius Dei Hypostasin suam Naturæ Humanæ, ὕφ' ἓν & sanguinibus ἀπαρθένου, virtute Spiritus Sancti formatæ, in plenitudine temporis ita communicavit, ut duæ Naturæ, Divina τὰ λόγου & humana assumpta ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως καὶ ἀχωρίστως, unitæ, Vnum constituant ὑφιστάμενον; Quod est Christus.

IV.

Hanc sequitur communicatio Idiomatum. Quippe quæ in Christo duplicia duarum naturarum propria, voluntatem duplicem operationes duplices, sapientiam duplicem, contra Monotheletas profitemur, ita sunt distincta & propria, ut nihilominus διὰ τὴν εἰς ἀλλήλας τῶν φύσεων περιχώρησιν communicentur.

V.

Communicatio Idiomatum est duplex; alia est à natura ad Personam; alia à natura ad Naturam.

VI.

Illa rursum est duplex; aut enim est à natura una, aut ab utraque.

VII.

Quæ à natura una est ad personam, est in primo genere, ubi quod Vnius naturæ est proprium, tribuitur Personæ in Concreto, ut filius Dei natus est ex muliere.

VIII.

Concretum hic est nomen, quo designatur Persona, ut; Deus, Filius Dei. Abstractum, qno designatur Natura; ut, Deitas; Humanitas; Caro.

IX.

Huc pertinet ἰδιοποιία seu οἰκείωσις, de qua Athanasius Diał 1. Sicut, inquit, ἰδιοποιεῖται, (Filius Dei) corpus cum inquit; Hoc est corpus meum; ita & πάθη οἰκειοῦται.

X.

Communicatio Idiomatum, quæ est ab utraq; natura ad personam est in secundo genere; ubi ἀποτέλεσμα ἐνεργείαις utriusq; naturæ ἠνωμένως ἐνεργούσης, productum tribuitur communi personæ. Tale ἀποτέλεσμα erat Sanatio cæci, in qua oculos tangebat Humanitas, aciem oculis reddebat miraculosè Divinitas.

XI.

Communicatio Idiomatum à natura ad Naturam est tertii generis communicatio,

quo

quo Divinitatis propria in persona τῦ λόγυ Humanitati tribuuntur κατ' ἐνωσιν. Vt cum dicitur: Humana Christi natura est omnipotens, omniscia, omnipræsens, Caro Christi est vivifica, Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato.

XII.

Etenim, quod rursum Damascenus ait lib. 3. c. 7. etsi divina natura maneat ἀμέτοχος eorum, quæ sunt humanæ; suam tamen gloriam & majestatem ei tradit; sed quam in statu exinanitionis exeruit, exerit nunc in statu exaltationis.

XIII.

Status exinanitionis est, in quo Christus forma servi sumpta majestatis suæ usu abstinuit, & patri humilem se præbuit, factus obediens usq; ad mortem.

XIV.

Status exultationis est sublimitas illa, in quam per resurrectionem illam & Ascensionem in cœlos evectus est, ut sedeat à dextris Dei, & dominetur à mari usq; ad mare.

XV.

Ille pertinet ad officium Christi Sacerdotale, quo functus est in his terris Evan-

gel-

gelium docendo, Legem Dei implendo, pro nobis intercedendo, benedicendo, & semetipsum hostiam pro totius mundi peccatis offerendo. XVI.

Hic ad Regale, quo nunc etiam fungitur Ecclesiam suam regendo & tuendo, de hostibus ejus triumphando & in medio inimicorum suorum dominando.

COROLLARIA.

1. *Christus ut Deus dat omnia, ut homo accipit omnia Gregor.*
2. *Christus est seipso maior, seipso minor.*
3. *Christus, nondum exaltatus, verè creuit scientia.*
4. *Christus, Mediator secundum utranq; naturam.*
5. *Christus obedientia sua non meruit sibi, sed nobis.*
6. *Conceptio Christi creditur momentanea.*
7. Το ἀπροσληπτον ἀθεράπευτον.
8. *Trinitas manfit Trinitas, etiam post Verbi incarnationem. Dam.*
9. *Non est Synecdoche, cum dicitur: Dominus gloriæ est crucifixus.*
10. *Anima corpori communicat vitam suam, non aliam, à sua accensam.*

De

De Creatione & Angelis.

DISPVTATIO QVARTA.

In qua respondit.

M. Elias Ehingerus Augustanus.

THESIS. I

Παντὶ τὸ ὄντι ἢ κτιστὸν ἐστιν ἢ ἄκτιστον, scribit Damascenus lib. 1. de orth. fit cap. 3. ἄκτιστον est Deus Creator solus, ens, entium, causa causarum: Cætera κτιστὰ sunt.

II.

Creatio est actio Dei, qua Pater per Filium in Spiritu Sancto voluntate libera, propter seipsum, omni quæ sunt extra ipsum à non esse ad esse, sine alteratione, vel è nihilo immediatè, vel è materia, è nihilo creata produxit.

III.

Quamvis enim αὐτοτελὴς sit Deus καὶ ἀνενδεὴς τῶν ἄλλων πάντων, attamen quia θεῖ ὑπερβολὴν ἀγαθότητος suæ, cum sapientia summa conjunctæ, facturus erat alia omnia, aliud non habuit, propter quod

quod faceret, nisi propter semetipsum, ut ipse inde agnosceretur & celebraretur.

IV.

Res creatæ distinguuntur ab Apostolo in Visibiles & invisibiles; ut per visibiles res intelligantur Substantiæ Corporeæ, per invisibiles Incorporeæ. Accidentia enim concreari potius, quàm creari dicuntur.

V.

Substantiæ corporeæ sunt, quæ ex materiæ & formæ concretione confiſtunt, ideoque ut tradit Damas. l. 2. c. 12. habent τὸ μῆκος, καὶ πλάτος, καὶ βάθος, καὶ πάχος.

VI.

Harum συνοχῇ efficitur mundus, sex dierum spacio conditus, quem definiunt; Σύστημα ἐξ οὐρανοῦ, καὶ γῆς, καὶ τῶν ἐν τούτοις περιεχομένων φύσεων.

VII.

Earumq; aliæ tantum esse habent, quæ creatæ sunt primis quatuor diebus; aliæ præter esse habent vivere, quæ creatæ sunt die tertio; aliæ præter esse & vivere sensu etiam sunt præditæ, quæ creatæ sunt diebus quinto & sexto; aliæ deniq; præter esse vitam & sensum vim intelligendi quoque

hab-

habent, ut Homo, qui conditus est die sexto.

VIII.

Substantiæ incorporeæ sunt Spiritus, compositionis ὑλικῆς expertes; indeq; ὅλως ὅλοι, partem extra partem non habentes. Quales sunt angeli & Anima hominis.

IX.

Angeli sunt Spiritus, recensente Damasceno νοεροὶ ἀσώματοι, ἀυπέξοσοι & finiti, à Deo ex nihilo conditi, ut astantes in conspectu Dei & contemplatione ejus beati, ipsum glorificarent, observarent, & ad ministerium pro salute hominum mitterentur.

X.

Etiamsi enim Deus, qui solo verbo & nutu regere omnia potest, angelorum ministerio ad ea, quæ inter homines agenda erant, opus non haberet: attamen præterquam quòd ἀυταξία Universi requireret, ut inferiores creaturæ regerentur per superiores, homines opus habeant, quibus inde & consolatio & materia glorificandi Deum major accedit.

XI.

Et quidem Angeli omnes creati sunt boni, sed cum πᾶν κτίσμα ut scribit Damascenus, sit τρεπτὸν καὶ πᾶν λογικὸν ἀυπέξοσιον multi eorum, honorem suum non ferentes,

mali sunt facti ἐπεσίως ἐκ τῦ ἀγαθῦ πρὸς τὸ κακὸν ἐκκλίναντες.

XII.

Quos qui secuti non sunt, per gratiam Dei ita confirmati sunt in bono, in pietate & felicitate, ut excidere inde, & mali atq; infelices fieri non possint.

XIII.

Inde nunc alii sunt sancti; alii immundi, qui vocantur Diaboli.

XIIII.

Angeli boni sunt, qui ἀρχὴν illam, in qua conditi sunt, servaverunt, & per gratiam Dei confirmati in æternum servabunt.

XV.

Qui cum sint multi, sicuti Daniel vidit millia milliorum Angelorum, & decies centena millia, ut cuique electorum certus aliquis ad custodiam ejus ordinariè sit destinatus: diversis officiorum generibus impares creduntur, licet natura & naturali dignitate sint pares.

XVI.

Diaboli sunt qui in veritate non steterunt, ideoq; conspectu Dei privati, æternis; tenebris mancipati, facti sunt hostes Dei & generis humani crudelissimi.

Corol-

COROLLARIA.

1. *Creare est Deum velle ex nihilo rem esse, quando incipit esse.*
2. *Creatura omnis bona, etsi quibusdam non apta. Aug.*
3. *Angeli apparentes Abrahamo vere comederunt, licet cibum non concoxerint.*
4. *Angeli moventur in tempore, sed non perceptibili.*
5. *Angelorum ordines scholasticis relinquimus.*
6. *Diaboli nec vaticinari, nec miracula edere, nec abstrusas cogitationes hominum scire possunt.*
7. *Diaboli suggerere homini possunt, cogere non possunt. Dam.*
8. *Diaboli faciunt, quod possunt, permittente Deo, quod possunt, non faciunt, prohibente Deo.*
9. *Omnis voluntas Diaboli injusta est, & tamen omnis ejus potestas justa.*
10. *De Incubis & Succubis nihil, inquit Augustinus, audeo definire temere.*

De Providentia.

DISPVTATIO. QVINTA.

M. Georgius Herdenius Marpurgensis Hassus.

THESIS. I

CUm die sexto rerum omnium creationem finisset Iehova, quievit septimo à creandis quidem speciebus novis, sed non à creatis per providentiam suam sustentandis & gubernandis. Ἀνάγκη γὰρ, scribit Damascenus, τὸν αὐτὸν εἶναι ποιητὴν, τῶν ὄντων, καὶ προνοητὴν.

II.

Providentia est Actio Dei, qua res conditas, omnia quæ sunt, omnia quæ fiunt, conservat, moderatur, disponit, & ad fines, quos destinavit, dirigit, liberè, sapienter, aptè.

III.

Distinguitur à Præscientia, quæ est ἰδιωμὰ Dei, quo omnia, quæ futura erant, quæ futura sunt, ipsi verò ἐν τῷ νῦν æternitatis suæ (ubi nihil subit futurum) sunt præsentissima, scit, novit videt. Visa verò gubernat per Providentiam.

4. Idq;

IV.

Idq; Operatione vel ordinaria, vel extraordinaria.

Ordinaria est, quæ fit κατὰ τάξιν: vel φυσικὴν vel ἱερατικὴν.

VI

Ordinaria κατὰ τάξιν φυσικὴν est Actio Dei generalis illa, seu Providentia universalis, qua communem & usitatum naturæ cursum fovet, impertiens rebus singulis vires & motus, ut pro naturæ suæ modulo agere possint. Scholastici vocant Influentiam generalem.

VII.

Distinguitur à particulari, qua κατ' ἰδίαν in re hac vel illa operatur tantisper, donec ad finem, quem vult, perducat; Ut cum excitat vermiculum, qui cucurbitam Ionæ corrodat.

VIII.

Gubernat autem aliter naturas ἀλόγους, quæ agere aliter non possunt, aliter λογικὰς, quæ consilio agunt, & quum agunt, vel non agere, vel aliter agere poterant.

IX.

Quia enim utrisque suum agendi modum relinquit; sic regit illas ut, & ipsæ regant naturaliter, virtute naturæ, à Deo acceptæ, conservatæ, motæ: sic has, ut & ipsi agant voluntariè id, quod non fieret, si nollent, quod nolle possent.

X.

Ab illis quæ fiunt, dicuntur Neceſſaria ἀεὶ ὡσαύτως ἔχοντα, ab his quæ fiunt, dicuntur contingentia ἐνδεχόμενα. Suntq; vel Bona vel Mala.

XI.

Bona gubernat Deus, diſtinguente Damaſceno, κατ' εὐδοκίαν καὶ ἐνεργείαν approbando & juvando illa. Mala autem κατὰ συγχώρησιν non approbando aut juvando, ſed permittendo, ad finem bonum dirigendo, & ſtatuendo, quomodo & quouſque permittere velit.

XII.

Deus, inquit Auguſtinus lib. 14. de Civ. Dei, c. 26. bonarum voluntatum eſt adjutor & remunerator; malarum autem relictor & damnator, utrarunque ordinator. De his enim, ſcribit alibi, qui faciunt, quæ non vult, facit ipſe, quæ vult.

XIII.

Operatio ordinaria κατὰ τάξιν ἑρμητικὴν eſt, quæ ordinem ſequitur communem, quo Deus homines in Eccleſia ad ſalutem perducere voluit & ſolet. Vocant providentiam peculiarem.

Extra

XIV.

Extraordinaria est actio specialis, quam & providentiam specialem nuncupant, qua extra, supra, contra τάξιν vel φυσικὴν vel ἱερατικὴν, Deus, causis secundis non alligatus, agit.

XV.

Exemplum posterioris est conversio Pauli frementis: prioris Miracula, quæ sunt opera, facta à principio, superiore natura creata, nempe à Deo, sive immediatè, sive mediatè, ut sint τεκμήρια singulariter præsentis Dei.

XVI.

Quod si quæ Diaboli faciunt, quæ in sui admirationem homines sapiant θαυμάσια ea sint, mira & mirabilia, at θαύματα non sunt.

COROLLARIA.

1. Deus totus oculus, est, quia omnia videt, totus manus est, quia omnia operatur, totus pes est, quia ubique est. Augustin.

2. Non quia futura cognoscit Deus, necesse est nos facere, quod ille præscivit, sed quod

nos propria voluntate facturi sumus, ille novit futurum qnasi Deus. Hier.

3. Futura tam non possunt fieri, quam praeterita non fuisse facta.

4. Fatum Christianum, definiente Mirandulano, est pendens à divino consilio series ordoque causarum.

5. Casum vocamus, cujus ratio causaque secreta est. Aug.

6. In pessima haerent consuetudine, qui ubi dici debet: Deus hoc voluit, dicunt: hoc fortuna voluit. Id.

7. Quare peccas? quia nescis, quid facias? absit, quia cogeris ut facias? absit, sed quia placet, ut sic facias? Bernh.

8. Malis utitur Deus non nisi bene.

6. Miracula ut fiant hodie, nulla necessitas est. Chrys.

10. Miracula sunt introitus ad fidem. Aug.

De Homine integro & corrupto

DISPUTATIO SEXTA.

In qua respondit.

M. David Laurentii Magdeburgensis.

THESIS. I.

VT tantò ardentius, ſcribit Auguſtinus, conditorem amaret homo, quantò mirabilius ſe ab eo conditum intelligeret: non ſolum hominem fecit eum conditor, ſed ad imaginem ſuam fecit, addito immortalitatis privilegio.

II.

Imago Dei erat, qua factori ſuo conformis erat Homo, mente ſua Deum agnoſcens ſynceriter, agnitum voluntate ſancta colens ſuaviter, & vires inferiores ſuperioribus ſubjectas habens pulcherrimè.

III.

Immortalitas erat, qua homo, qui, ut docet Auguſtinus lib. 6. de Gen. ad lit. c. 25. conditione corporis animalis mori poterat, quandiu non peccaret non moriturus erat, ſed annoſus ſine defectu (quem lignum vitæ prohibebat) tempore quo vellet Deus, in cœlum erat venturus.

IV.

Illa erat dignitas animi, hæc corporis: ſed dum ſuaſu Satanæ illectus, Deo nec probante nec ciente, per liberum voluntatis ſuæ arbitrium, quo bonum, ſi voluiſſet tenere poterat, a bono ad malum ſe avertit, & fructum vetitæ arboris comedit, amiſit

utranque, & in mundum introduxit Peccatum.

V.

Peccatum (ἁμαρτία) definiente Apostolo Iohanne, est ἀνομία, quicquid cum lege Dei non congruit: unde peccantem apud tribunal Iustitiæ divinæ ad pœnam obstringit.

VI.

Estq; duplex: Originale & Actuale.

VII.

Originale peccatum est naturæ humanæ pravitas, quam trahimus ex origine fatus nostri, quo corpus & animam per propaginem ab Adamo accipimus, nempe justitiæ originalis carentia, in mente cæcitas, in voluntate perversitas, in parte inferiore contumax rebellio.

VIII.

Quo fit, ut hominis Arbitrium, quod ante lapsum erat liberum, post lapsum, antequam regeneretur homo, sit servum, ut quemadmodum mens ea, quæ Spiritus Dei sunt, percipere non potest, ita nec voluntas ea velle aut perficere queat.

IX

Vtrique tamen locus est relictus in iis quæ sunt externa, sive ea sint Politica, sive Ecclesiastica.

X.

Peccatum actuale est, quo vel non agen-

dum agitur, quod vocant peccatum Commissionis, sive fiat corde, sive ore, sive opere; vel agendum non agitur; quod vocant peccatum Omissionis.

XI.

Peccatum Actuale aliud Remissibile, aliud Irremissibile.

XII.

Remissibile est, à quo datur reditus ad pœnitentiam.

XIII.

Irremissibile est peccatum in Spiritum Sanctum, quod ob peccantium pertinaciam sub pœnitentiam nunquam cadit; Estque agnitæ veritatis malitiosa & blasphema impugnatio.

XIV.

Et cum omne peccatum naturâ suâ mortis æternæ meritum inferat, attamen Sanctorum peccatum aliud est Mortale, aliud Veniale.

XV.

Mortale est, quo Spiritus Sanctus exturbatur & fides amittitur, ut sancti sancti esse desinant.

XVI.

Veniale est, quo cum Spiritus Sanctus & fides durare possunt. Vocant aliàs peccatum non regnans; quando fit regnans, mortale est.

COROLLARIA.

1. *Paradisus fuit locus terrestris.*
2. *Delirium est, peccatum originale facere substantiam hominis.*
3. *Blasphemum est, Deum peccati autorem facere.*
4. *Peccatum, quod ex peccato oritur, non iam peccatum tantummodo est, sed peccatum est, & pœna peccati. Gregor.*
5. *Liberum arbitrium est etiam in eo, qui non potest peccare: non autem in homine non renato, qui non potest non peccare.*
6. *Falsum est, in lapsu hominis Naturalia mansisse integra.*
7. *Concupiscentia, peccati mater, ipsa quoque peccatum est.*
8. *Non sic voluntas non renata velle potest divina, quemadmodum incedere potest, qui pedibus est ligatus.*
9. *Tolli potest Reatus peccati, manente peccato.*
10. *Maria originali peccato non caruit.*

De Lege & Evangelio

DISPVTATIO. SEPTIMA.

In qua respondit.

M. Casparus Pamlerus Reichenbacensis.

THE

THESIS I.

Quemadmodum peccatum quod Bernhardus alicubi dicit, est morbus animæ; ita, quod dicit Augustinus. medicina animæ est, credere in Christum.

II.

Vtrumque homini de lapsu restituendo erat cognoscendum: Morbus, ut Medicina desideraretur: Medicina, ut morbo applicaretur: Vtrumq; Deus, refecturus quem fecerat, pro inenarrabili sua φιλανθρωπία homini ostendit.

III.

Morbum quidem per Legem Testamenti Veteris; Medicinam per Evangelium Testamenti novi. Est enim utilitas legis, quod rursum Augustinus ep. 200. ad Asellicum ait, ut hominem de sua infirmitate convincat, & gratiæ medicinam, quæ est in Christo, implorare compellat.

IV.

Testamentum vetus est pactum, sanguine vitulorum per Mosen constabilitum, quo Deus populum Israeliticum ad servandum legem suam sibi obstrinxit, Eidemq; se obstrinxit, promittendo possessionem terræ Canaan, & his, si qui legem perfecta obedientia implerent, vitam æternam.

V.

Lex Dei est doctrina, continens regulam eorum, quæ Deus à populo suo fieri vel non fieri voluit: propositis præmiis observationis, pœnis violationis, temporalibus simul & æternis.

VI.

Cujus doctrinæ pars præcipua est lex Mosaica. Nam quæ ante Mosen vigebat præter illa, quæ ex Lege naturæ omnium mentibus divinitus inscripta erant extructa, præceptis constabat paucissimis de sacrificiis & circumcisione.

VII.

Complectitur autem lex Mosaica, sic dicta à Moyse, per quem à Deo populo Israelitico, ex Aegypto non ita pridem educto, est tradita, sanctiones triplices; Morales, Ceremoniales & Iudiciales.

VIII.

Morales continentur in Decalogo, digitis Dei in tabulis lapideis primitus exaratæ; suntq; præcepta, rationem piè & justè vivendi omnibus communem tradentia.

IX.

Iccirco etiam obligant Christianos in Novo Testamento ad obedientiam, licet non obligant ad condemnationem fideles; quibus Christus, qui legem perfectè im-

ple-

plevit, per imputationem, cum omni sua justitia donatur.

X.

Partes seu Tabulæ decalogi sunt duæ: Una de cultu seu amore Dei in præceptis tribus prioribus; altera de justitia seu amore proximi in præceptis septem posterioribus. E quibus tabulis, ut scribit in Enchir. Augustinus, omnia quæ Deus præcipit, pendent; è priori quidem Leges Ceremoniales, è posteriori judiciales.

XI.

Leges ceremoniales sunt, quibus sanciebantur Ceremoniæ ἱερατικὰς Israeliticæ; cujusmodi erant Sacrificia, Sacramenta, Loca & Tempora sacra, aliæq; in cibo & vestitu observantiæ.

XII.

Eæq; quia typi erant & umbræ futurorum bonorum, nempe Christi, cujus officium & beneficia adumbrabant, hoc exhibito, sublatæ sunt nempe, ut loquitur Augustinus, de agendi celebritate, significandi auctoritate manserunt.

XIII.

Leges Judiciales sunt quibus πολιτείαν Israeliticam, in societate, tum œconomica, tum civili, constituendam & administrandam Deus voluit; ad hoc, ut essen illustris

distinctio

distinctio politiæ Mosaicæ, in qua nasciturus erat Messias, à gentibus aliis.

XIV.

Eo nato, antiquatæ etiam sunt illæ, non quod uti in Testamento novo non liceat, sed quòd uti non sit necesse. Dejectum est templum: dejectum est Forum.

XV.

Testamentum novum est pactum, sanguine Filii Dei formatum, quo, postquam lex. V. Testamenti à nemine mortalium impleri poterat, Deus his, qui Evangelio credant, peccatorum veniam æternamque salutem daturum se recipit.

XVI.

Evangelium autem est doctrina, Christum, pro nobis peccatorum impletione defunctum & pro peccatis nostris mortuum & passum, annuncians, quem propter remissionem peccatorum & vitam æternam gratis accipiant, quotquot fiduciam suam in ipso collocant.

COROLLARIA.

3. *Imagines, si Testamentum vetus vetebat, novum habet liberas.*

2. *Iurare licet, ne tamen nomen Domini assumatur in vanum.*

3. *Sabbatum non est servandum, quia figura est. Aug.*

Lege

4. *Leges humanæ obligant in conscientia, secundario.*
5. *Non minus mali est referre injuriam, quam inferre. Lact.*
6. *Castitas suaderi (Consilio) potest: imperari (præcepto) non potest.*
7. *Est vero & castitas consuetudo cum propria uxore; asserente Paphnutio in Synodo Nicena.*
8. *Si quis usuram accipit, furtum facit. Ambros.*
9. *Cum falsum à sciente dicitur procul dubio mendacium est, sive illo quisquam, sive nemo lædatur. Aug.*
10. *Lex Moysis alicubi permittebat non bonum, ad cavendum majus malum.*

De Sacramentis veteris & novi Testamenti

DISPUTATIO OCTAVA

In qua respondit

M. Conradus Rhuel VViteb ergensis.

Thesis I.

INcorporeus si esses, scribit alicubi Chrysostomus, nuda & incorporea Deus tibi dedisset dona, sed quoniam anima inserta

est

est corpori, intelligibilia præbet tibi in sensibilibus. Scilicet in Verbo & Sacramentis.

II.

Sacramenta sunt actiones institutæ divinitus, in quibus ἔξωθεν certa quædam visibilia signa dispensantur, ut ἐσωθεν per ea Deus dispenset dona cœlestia, Evangelii promissionem obsignet, ejusdemque gratiam applicet omnibus, qui Sacramento utuntur cum fide.

III.

Hæc enim requiritur, non quidem ut Sacramenta sint, sed ut prosint. Aliud sunt ipsa, alia virtus ipsorum, quam non accipit, nisi qui fidei manu excipit.

IV.

Suntque Sacramenta duplicia. Alia Testamenti veteris, alia Novi.

V.

Sacramenta Veteris Testamenti erant, quæ ante Christum exhibitum, ut in carne exhibendum intenderent & adumbrarent, erant in usu, nempe Circumcisio & Agni Paschalis epulum.

VI.

Circumcisio erat Sacramentum Testamenti veteris, Abrahamo ejusque posteritati traditum, quo adulti & die octavo infantes puelli, amputatis præputiis, recipiebantur in populum illum, cui facta erat

pro

promissio de possidenda terra Canaan & Messia ex ipso nascituro.

VII.

Epulum Agni paschalis erat Sacramentum Testamenti veteris per Mosen institutum, quo in memoriam liberationis Aegyptiacæ, & ad præfigurandum Agnum Dei, Christum, Israelitæ secundum legem non immundi & proselyti circumcisi, domi quique suæ, renes suos accincti, calceati & baculis armati, decima quartadie primi mensis agnum anniculum immaculatum, ad ignem assatum, osse nullo fracto, sanguine per fasciculum hyssopi postibus & superliminari januæ aspersо, cum panibus azymis & lactucis salsis comedebant, vel totum, vel si comedi non poterat igne exurebant.

VIII.

Hæc, cedente pacto veteri, cui erant annexa, ipsa quoq; cessérunt, succedendibus Sacramentis Testamenti novi.

IX.

Sacramenta Testamenti novi sunt, quæ continent Christum in carne jam exhibitum. Suntque duo Baptismus & Cœna Domini.

X.

Pœnitentia autem, Confirmatio, Ordinatio, Extrema unctio & Conjugium,

quicquid

quicquid sint, Sacramenta tamen, quæ propriè dicantur, non sunt.

XI.

Baptismus est Sacramentum Novi Testamenti à Iohanne Baptista primitus administratum, quo vel infans è Christiano natus, vel adultus in doctrina Christi informatus, aqua in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti abluitur, ut abluendo per Spiritum Sanctum regeneretur, fiatq; civis Ecclesiæ Christi & unus de numero filiorum Dei.

XII.

Cœna Domini est Sacramentum Novi Testamenti, in memoriam passionis & mortis Dominicæ à Christo institutum, quo per consecrata symbola, panem & vinum, ἀντίτυπα suam servantia, corpus & sanguis Domini ore (sive dignè sive indignè) sumentibus distribuuntur, utqui iisdem fide fruuntur, ad vitam alantur æternam.

XIII.

Cujus Sacramenti insignis prophanatio est theatrica Pontificiorum Missa, quam docent esse Sacrificium externum propitiatorium pro peccatis non solum viventium, sed etiam mortuorum.

XIV.

Atqui, ut Christus Pontifex & Sacerdos Novi Testamenti est unicus, ita u

nicum

nicum Externum & reale in N. Testamento sacrificium agnoscimus: ἱλαστικὸν illud, quo Christus seipsum obtulit victima, in ara crucis, pro peccatis totius mundi: quo omnia V. Testamenti sacrificia externa sive ἱλαστικὰ sive εὐχαριστικὰ implendo sustulit.

XV.

Illo peracto, sola interna & spiritualia sacrificia peragenda sunt nobis, quæ in cultu hominis interiore consistunt, & nihil aliud sunt, quam pietatis & charitatis officia.

XVI.

Sacrilegium verò etiam insigne est, quod iidem his, qui non sunt de familia clericorum, alteram Eucharistiæ partem, constantem vino & sanguine dominico, contra præceptum Christi, qui nemini sine potu, cibum salutis ministrari voluit, subtrahunt.

COROLLARIA.

1. Ministri, sive improbi, sive non intendentis vitium, non tollit Sacramenti beneficium.

2. In Sacramentis nec elementa, nec verba mutari possunt.

3 Pontificiorum Sacramentalis character est indelibilis, quia nunquam scribitur.

4. Sacramentalis Sacramentariorum Metonymia caret exemplis.

5. In Baptismo pars præcipua Spiritus. Chrys.

6. Baptizare potest Laicus (si mulier) in necessitate. Aug.

7. Infantes Christianorum sine Baptismo salvantur.

8. Baptismus repeti potest, non actu suscipiendo novum, sed fide recipiendo veterem.

9. Exorcismus nunquam erat necessarius.

10. Panis & corporis dominici sacramentalis unio fit, quando fit manducatio.

De Pœnitentia & Iustificatione.

DISPUTATIO NONA

In qua respondit.

Martinus Detlevus Otterndorfensis Hadelerius.

THESIS I.

PEr culpam discordes sumus Deo, aiebat aliquando Gregorius. Postquam enim

dimisi

dimisimus eum, ipse dimisit nos nobis. Redimus autem ad eum per pœnitentiam, quæ Chrysostomo sic loquente, reserat, quod claudit peccatum.

II.

Pœnitentia, Græcis dicta μεταμέλεια καὶ μετάνοια, est hominis peccatoris conversio à peccatis ad Deum.

III.

Peccata igitur sunt terminus à quo conversionis hujus; nec illa solum, quæ ante Baptismum, sed etiam ista, quæ post eum perpetrantur. Terminus ad quem est Deus, idemque ejus est in homine effector. Conversio ad bonum, inquit Augustinus, non homini, sed Deo asscribenda.

IV.

Partes pœnitentiæ sunt duæ, Contritio & Fides.

V.

Contritio est pars prior pœnitentiæ, qua peccator ex Lege peccata sua agnoscit, iram Dei adversus ea cognoscit, pœnas eorum metuit, seque illis Deum offendisse, dolet ex animo.

VI.

Cui adjuncta esse solet Confessio, qua dolorem suum peccator explicat, vel apud fratrem læsum, à quo sibi cupit ignosci, vel

vel apud Ecclesiæ Ministrum, cuius indiget consolatione, vel institutione: sive hoc fiat Confessione generali, qua generatim omnium peccatorum reum se fatetur, sive speciali, qua & certa quædam denominat.

VII.

Sed quarum neutra est pars Pœnitentiæ quæ etiam per silentium potest esse integra: quamvis alterutra pœnitenti aliquando sit necessaria si morem Ecclesiæ servare teneatur, aut alioqui Ministri subsidio carere nonpossit.

VIII.

Multo minus pars Pœnitentiæ est Auricularis illa Pontificiorum, qua peccatori omnia sua delicta, quæ per districtum examen in memoriam revocare potuit, diserte in aurem Sacerdoti denarranda sanxerunt sed sine sacrarum literarum præcepto, sine earundem exemplo, & sine fidelium commodo.

IX.

Sicuti nec Satisfactio operis, qua per afflictiones corporis sponte assumptas satisfaciendum jubent Deo pro temporali pœna, quam, culpa & pœna æterna in pœnitentia remissis, remissam perversè negant: quasi satisfactio Christi ita sit manca, ut opus illi sit supplemento nostræ in re ulla.

X.

Quod si alicubi cernimus lachrymas, cinerem, favillam, cilicium, decubitum in terram, jejunium, pectoris contusionem &c. non hoc volunt, ut satisfiat Deo, sed ut cordis verè humiliati contritionem testificentur. Quod ipsum tamen non necessarium.

XI.

Eodem modo qui deliquerunt enormiter, vel excommunicantur, vel ad publicam pœnitentiam adiguntur, non ut Deo satisfaciant, sed Ecclesiæ, quam offenderant, & ut resipiscant.

XII.

Altera autem Pœnitentiæ pars est Fides, qua ex promissione Evangelii humiliatus peccator se erigit, fine omni dubitatione, πληροφορίᾳ firma statuens, esse remissum sibi quicquid deliquerit, propter Christum, qui pro universo mundo satisfecerit. Quo facto, conversus est ad Deum, justificatus à Deo.

XIII.

Est enim justificatio opus Dei, quo secundum misericordiam suam gratis propter Christum homini immerenti, peccata verò sua detestanti; & in merito Christi acquiescenti, ejusq; justitiam, in obedien-

ia patri præstita sitam, per fidem appre hendenti, dat peccatorum veniam & vitæ cœlestis hæreditatem.

XIV.

Id quod postmodum annunciatur ei in absolutione privata, quam Minister Ecclesiæ auctoritate Christi, à quo clavem solvendi accepit, apud confitentes exequitur. Non tamen annunciatur semper, quod non semper necesse sit.

XV.

Fructus fidei, ideoq; pœnitentiæ & Iustificationis sunt Propositum melioris vitæ ejusq; executio Nova obedientia, qua homo reconciliatus & justificatus, Spiritus Sancti gratia adjutus, bonis operibus & sanctitati studet.

XVI.

Bona enim opera etsi vim justificandi non habeant (sequuntur justificatum, inquit Augustinus, non præcedunt justificandum) præstanda tamen sunt; propter Deum, ut illustretur gloria nominis ipsius; propter homines alios, ut ipsis fides & charitas nostra probetur; propter nos ipsos, ut professioni nostræ respondeant; nosque vel præmiis præstitorum potiamur, vel pœnas neglectorum evadamus, in hac simul & altera vita.

Co

COROLLARIA.

1. Pœnitentia neque cum absolutione, neque sine absolutione est Sacramentum.
2. Absolutio dicitur Sacramentum ὁμωνύμως.
3. Pœnitentia secunda tabula naufragis: Hieron. non optime.
4. Afflictiones reconciliatorum non sunt proprie pœnæ.
5. Contritio si seria sit, tanta est, quantam Pœnitentia requirit.
6. Indulgentiæ Papæ ludibria sunt Satanæ.
7. Non renatorum opera, ut Deo non placent, ita nec ex congruo primam merentur gratiam.
8. Male distinguunt Iesuitæ inter Iustificationem primam & secundam.
9. Bona opera ad salutem perniciosa esse, dicitur pernicioſe.
10. Neq; de gratia Dei, neque de perseverantia in statu hujus gratiæ fidelibus dubitandum est.

De Ecclesia

DISPUTATIO DECIMA.

In qua respondit.

M. Zacharias Schnabelius Ambergensis P.

THESIS. I

SCitè cum Arca Noah veteres contulerunt Dei Ecclesiam. Quemadmodum enim extra illam, vitam nemo à Cataclysmo tueri poterat: ita quisquis est extra Ecclesiam, in Dei perit judicio. Extra Ecclesiam, scribit Gregorius, nulla est salus.

II. Est autem Ecclesia cœtus hominum qui Deo vocanti per verbum suum nomen dedit, sic dicta, ἀπὸ τῆς ἐκκλήσεως.

III. Et dispescitur in Triumphantem & Militantem.

IV. Triumphans est cœtus eorum, qui cum Deo nunc vivunt in cœlis, & hostibus suis, peccato, mundo & Satana superatis, triumphant.

V. Militans est cœtus eorum, qui adhuc vivunt in terris, ubi adversus hostes istos,

quam

quàm diu hic vivere datur, est belligerandum & pugnandum.

VI. Pontificii subjiciunt Purgatorium, in quo tanquam carcere, post hanc vitam docent purgari animas, quæ in hac non plenè purgatæ fuerant, ut nimirum sic purgatæ in cœlum, quo nihil intrabit coinquinatum, ingredi possint. At cum purgatorium, tale nullum sit, nulla quoq; in eo fuerit Ecclesia.

VIII. Sunt verò Ecclesiæ militantis membra alia vera & genuina, alia adulterina; è quibus distingui solet in Invisibilem & Visibilem.

Invisibilis est cœtus eorum, qui sunt genuina membra, Christo per veram fidem conjuncta, à quo vitam, tanquam à capite hauriunt. Hos enim nemo videt, nisi solus Deus. Is novit, qui sint sui.

IX. At visibilis Ecclesia complectitur utraq; membra genuina & adulterina in eundem cœtum per externam ejusdem fidei professionem & eorundem Sacramentorum communionem consociata.

X. Quippe fatemur nos, inquit Augustinus, in Ecclesia Catholica & bonos & malos esse, sed tanquam grana & paleas.

tem, Cyprianus; impediri non debet aut fides aut charitas nostra, ut quoniam Zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus. XI.

Sed hæc rursum distinguitur in particulares, & universalem; quarum illæ sub hac continentur, certorum locorum finibus circumscriptæ, ut Philippensis, Romana: Hæc verò illis, conjunctim sumptis constat, quas omnes quotquot eandem profitentur fidem, ambitu suo complectitur.

XII.

Particulares Ecclesiæ possunt corrumpi, nec solum corrumpi, sed etiam aboleri penitus: quomodo multas & corruptas & abolitas esse, testis est experientia. At quia non simul omnes aboleri possunt, licet simul omnes corrumpi possint, iccirco nec Vniversalis Ecclesia visibilis aboleri potest, corrumpi tamen potest.

XIII.

Nam sicuti Luna, ut ab Ambrosio hoc mutuemur, nunc plus, nunc minus fulget, ita quoque Ecclesia ortus obitusque suos habet, aliasque in statu est perfecto, aliàs in statu corrupto.

XIV.

In statu perfecto est, quando habet synceram Verbi divini prædicationem & Sa-

cramen-

cramentorum legitimam administrationem; quorum altero vel utroq; corrupto, status Ecclesiæ visibilis (quoad ministerium externum) est corruptus.

XV.

Ista enim (pura videlicet Verbi prædicatio & Sacramentorum legitima administratio) sunt vera, propria, & characteristica γνωρίσματα Ecclesiæ, quibus incorrupta à corrupta, vera à falsa ἐναμφισβήτως dignosci potest.

XVI.

Alia (ut nomen Ecclesiæ Catholicæ, Antiquitas, Amplitudo, Episcoporum successio, Consensus, Efficacia doctrinæ, Sanctitas vitæ, Miracula, Lumen propheticum, Exitus infelix hostium, Felicitas temporalis defensorum) sunt accidentaria, quæ vel non semper, vel non soli Ecclesiæ indices esse nequeunt.

COROLLARIA.

1. Ecce scripturæ communes. Ecce ubi novimus Christum: Ecce ubi novimus Ecclesiam. Aug.

2. Quid mihi cum multitudine? malo unum pretiosum lapidem, quam multos obolos. Chrys.

3. Errat Ecclesia, quæ Ecclesiam errare posse negat.
4. Eodem modo errare possunt Concilia.
5. Plus credendum est vel simplici Laico scripturam producenti, quam toti concilio sine scriptura aliquid affirmanti. Gerson.
6. Sæpe aures auditorum sunt puriores, quam labia docentium.
7. Non sanctorum filii sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum. Hieron.
8. Baptismum legitimum hæretici habent, sed non legitime. Aug.
9. In Ecclesia nec boni sine malis, nec mali sine bonis esse possunt. Greg.
10. Vbi tres sunt, Ecclesia est, licet Laici, Tertul.

De Ministerio Ecclesiæ

DISPUTATIO UNDECIMA.

In qua respondit

M. Adamus Dithmarus Marchius.

THESIS I.

Ecclesia est civitas Dei: de visibili scribit Ambrosius, cuius visibile regimen Rector summus, Christus Dominus, commisit ministris ejus legitimè vocatis.

II.

Ministri Ecclesiæ sunt, qui obeunt in ea munus publicè docendi, Sacramenta administrandi, peccata remittendi & retinendi, & disciplinam Ecclesiasticam conformandi ad salutem & ædificationem Ecclesiæ institutum.

III. Vocatio legitima est, quam commendat auctoritas Dei, Estque vel Immediata vel Mediata.

IV. Immediata est eorum, quos Deus extra hominis arbitrium, extraordinariè eligit,

& donis extraordinariis ideò instruit. Talis erat in Veteri Testamento vocatio Prophetarum, qui mittebantur ad instauranda doctrinam, à sacerdotibus corruptam, & ad politica quædam consilia gubernanda; in Novo Apostolorum, Evangelistarum & Prophetarum, quorum functio erat, fundare Christianam Ecclesiam per vniversum terrarum orbem.

V.

Mediata est eorum, qui per Ecclesiæ eorum ve, quibus ipsa commisit, electionem, assciscuntur ad ministerium. In Veteri Testamento filios Aaronis Sacerdotes efficiebat Naturalis propagatio.

VI.

Illiusmodi ordinaria nunc est in Novo Testamento; ubi, qui minister futurus est, primum ab iis, quorum jus est, nominatur; nominatus an sit idoneus, examinatur; examinatus, si sit idoneus, Ecclesiæ commendatur, cujus suffragia nactus, minister ejus declaratur.

VII.

Ita declaratus legitimè est vocatus, & unus ex numero eorum, quibus concessa est potestas Ecclesiastica tum ordinis, tum Iurisdictionis, ut loquuntur. Ordinatio enim, quæ solet adjungi & ritus est, quo ca-

pessen-

pesſenti miniſterium, per impoſitionem manuum, inter preces Eccleſiæ, publicum, legitimæ vocationis datur teſtimonium, non eſt neceſſaria.

VIII.

Poteſtas ordinis eſt, quam miniſtri exercent in publicè docendo & Sacramentis administrandis. Poteſtatem verò Iurisdictionis exercent in uſu Clavium & conformanda Eccleſiaſtica diſciplina.

IX.

Claves ſunt duæ; ſolvens & ligans. Quarum per illam iis, qui peccata ſua deteſtantur, & vitæ poſteræ emendationem pollicentur, peccatorum remiſsio, auctoritate Chriſti annunciatur; hac verò ἀμετανοήτως impiis peccata ſua, ira Dei denunciata, retinentur. Illa regnum cœlorum aperitur; hac clauditur.

X.

Diſciplina Eccleſiaſtica eſt, qua politia Eccleſiaſtica decenter & commodè adminiſtratur; quod fit, ſi decorum tum in externis ceremoniis, tùm in moribus conſtituitur, & ſervatur.

XI.

In Ceremoniis ſervatur decorum, ſi recipiantur eæ, quæ genere ſint indifferentes, pluribus Eccleſiis communes, numero paucæ, fine utiles, & retineantur tantiſper,

XIII. Datur autem Scandalum ab his, qui aut doctrina falsa, aut vitæ peiori exemplo, aut intempestivo rerum indifferentium usu, vel obfirmant impios, vel pervertunt pios, vel labefactant aut decijiunt infirmos.

XIV. Distinguitur à scandalo Accepto, quod Pharisaicum vocant, quo vel ex iis, quæ doceri & dici debebant, vel ex iis, quæ fieri debebant vel ex iis, quæ fieri saltem licebat, hoc est, ex usu rerum adiaphorarum, deteriores redduntur impii.

XV. Res adiaphoræ sunt, quarum libertas Christianis, à peccato, à lege Moysis & Traditionibus humanis liberatis, concessa est, ut vel observare vel negligere, si absit offendiculum infirmiorum, eas possint, nec condemnare nec condemnari, propter eas merito queant.

XVI. Aufertur verò scandalum, si informentur, qui sunt offensi, admoneantur, qui offenderunt; corrigantur, quorum peccata sunt occulta; à Sacramentorum usu arceantur, quorum peccata sunt manifesta & enormia, quæ aliquando Pœnitentia publica, aliquando Excommunicatione, de communis præsbyterii consensu, puniantur.

Corollaria.

1. *Hoc erant utiq; cæteri Apostoli, quod*

fuit

fuit Petrus: pari consortio præditi & honoris & potestatis. Cyp.

2 Regimen igitur visibile Vniversalis Ecclesiæ, non Monarchicum, sed Aristocraticum. Nunc quid Papa? Antichristus.

3. In particularibus Ecclesiis datur primatus ordinis, non potestatis.

4. Vocatio Lutheri fuit mediata singulariter.

5. Presbyteri olim vocabantur Episcopi. Chrys.

6. Non convenit, eundem esse Episcopum & secularem principem.

7. Etiam non legitime vocati fructuosè prædicare possunt.

8. Calendarium Gregorianum est, ut ociosum: ita permitiosum.

9. Dissonantia ieiunii non dissolvit consonantiam fidei.

10. Non timeas contra charitatem esse, si unius scandalum multorum compensaveris pace. Melius enim est, ut pereat vnus quam vnitas. Bernhar.

De Magistratu & Conjugio.

DISPUTATIO DUODECIMA.

In qua respondit.

Christophorus Hoserus

Augustanus.

THESIS. I

TRiplex in populo Dei regimen; Ecclesiasticum, Politicum, Oeconomicum. Illud pertinet præcipuè ad Ecclesiæ ministros; istud est penes Magistratum; hoc intra Conjugium.

II.

Magistratus est, qui fungitur officio Rempublicam secundum justitiam gubernandi, ad constituendam & retinendam felicitatem politicam.

III.

Autor eius est Deus, qui ad munus hoc vocat homines, aliàs extraordinariè, quos donis extraordinariis quoq; ad res gerendas instruit; plærunq; verò modo ordinario; per Suffragia, vel successionem hæreditariam.

IV.

Norma gubernationis est justitia, in pace Togata, in bellis Bellica: Et continetur in Legibus, quæ sunt vel Divinæ vel Humanæ.

Divina

V. Divinas complectitur Decalogus, cujus utriusque tabulæ custos, quo ad externam disciplinam, est Magistratus. Qui nec forenses Moysis contemnat; non quidem quod ad earum præscriptum respub. Christianas constituere sit necessarium, sed quod exemplar in ipsis habeat, quod intueri in sanciendis legibus conveniat.

VI. Leges humanæ sunt vel Ecclesiasticæ, quibus disciplina Ecclesiastica; vel Civiles, quibus politica instruitur. Vtrisq; si legi divinæ non adversentur, parendum.

VII. Cui si adversentur, nec gubernationis poterunt esse norma nec subditi illis atenentur obsequi. Magis enim obediendum est Deo quam hominibus.

VIII. Secus pareant promptis animis & studiis non Laici solum, sed Ecclesiastici etiam. Omnis anima, inquit Chrysostomus è Paulo, potestatibus supereminentibus subiiciatur, etiamsi Apostolus fueris, etiamsi Propheta, vel quivis alius. Neque enim ista subjectio Dei cultum evertit.

X. Conjugium est legitima unius viri & mulieris unius in unam carnem copulatio ad sobolis procreationem, & vitæ individuam consuetudinem, divinitùs instituta.

legiti-

X. Legitima est, si quod jubent leges, præcedat Consensus; & Personæ, matrimonio conjungendæ, non sint nimis vel Consanguineæ vel Affines.

XI. Consensus spectatur vel in Sponsalibus, quæ sunt promissiones de futuro matrimonio, ad quod est causa disponens; vel in nuptiis, quibus facta prius promissio ratificatur, marito accipiente uxorem, uxore maritum. Isque est causa conjugii, quod consumatur concubitu, efficiens.

XII. Sit autem liber, plenus & syncetus; non is tantùm, quo consentiunt qui matrimonium ineunt; sed accedat etiam, si filii familias sunt, consensus parentum. Hoc enim, scribit Iustinianus, naturalis & civilis ratio suadet in tantum, ut jussus parentum præcedere debeat.

XIII. Personæ nimis consanguineæ vel affines sunt, quæ in istis consanguinitatis vel affinitatis gradibus sunt constitutæ, in quibus matrimonium contrahere per leges divinas aut humanas non licet.

XIV. Vetant autem leges divinæ omnes gradus in linea recta ascendentium & descendentium, in transversa verò gradum primum, & omnes ascendentium ab amita aut matertera, vel descendentium à fratris aut sororis filia. Plures in linea transver-

sa

sa vetant humanæ; ut Saxonicæ Electorales nostræ gradum tertium transversæ in æqualis. Totidem gradus prohibentur in affinitate, quæ primi est generis, ubi affines mihi sunt uxoris meæ consanguineæ, non autem ipsius affines, è quibus quamlibet ducere licet mihi.

XV. Matrimonio opponuntur Repudium & Divortium; quorum illud est pactionis, de futuris nuptiis in Sponsalibus initæ, rescisio; hoc est Conjugis à conjuge legitimè facta dimissio.

XVI. Causæ repudii possunt esse variæ, semper sint gravissimæ, quas prudens judex commodo Ecclesiæ, Reipub. & privatæ cujusque familiæ æstimabit. Divortii vero causam unicam constituit Christus, adulterium.

COROLLARIA.

1. Magistratum gerere, Bella gerere, iudicia exercere, Christianis licet.

2. Belli iusti conditiones quatuor: Auctoritas legitima, Causa iusta, Finis bonus, Conveniens modus.

3. Regnum terrenum qui dedit, Constantino, Christiano, ipse dedit Iuliano Apostatæ. Aug.

4. Iu-

4. Iudæorum Synagogæ in Christiana repub. non sunt ferendæ.

5. Non gravius puniendum est furtum, quam adulterium vel homicidium.

6. Ob hæresin non lues capitis supplicium.

7. Polygamia habet exempla: sed quæ congruunt cum regula.

8. Falsò Antanagoras iteratum conjugium σεμνην μοιχειαν.

9. Conjugium humile melius est virginitate superba. Aug

10. Recte Synesius clericus, se non dimissurum uxorem, quam & Deus & Lex & Episcopi manus sibi tradidissent.

De Morte, resurrectione, Iudicio Extremo &c.

DISPUTATIO DECIMA TERTIA

In qua respondit.

M. Albertus VVichgrevius
Hamburgensis.

THESIS I

QVando omnis sapientium vita, secundum Platonem, meditatio est mortis

debemus

debemus & nos præmeditari, quod aliquando futuri sumus. Hieron. ad Heliod.

II.

Vita est, definiente è Philosophis Scaligero, actus animæ in corpore. Privatio eius Mors est: nempe disiunctio animæ à corpore. Quæ cum fit, homo ab hominibus demigerat.

III.

Homine amisso, lugemus. Benè; si, ut mor et Chrysostomus, cum modestiæ decoro; ne Indignemur Domino, qui postquam non abstulit, nisi quod dedit, sua recepit, nostra non abstulit. Lugendum & post luctum consolandum: scribit Bernhardus.

IV.

Faciunt autem ad consolandum Sepultura corporum, & piarum animarum commigratio ad Dominum.

V.

Sepultura est, qua defunctorum exuviæ non ficut brutorum corpora, abiciuntur sed in locum, corporibus honestè humandis deputatum, efferuntur, ritè comitante Christianorum caterva, qui istiusmodi officio suum erga defunctos & lugentes propensum

pensum declarant affectum, & fidem resurrectionis confirmant.

VI. Animæ verò ipsorum, naturâ immortales, si piè defuncti sunt, illico concesserunt ad Dominum, ut in sinu Abrahæ, liberatæ à vitæ prioris molestiis, quiescant, non dormiendo, sed suavitatem cœlestem percipiendo, donec suis restituantur corporibus. At impiorum animæ rapiuntur in infernum, ut meritò dixerit Bernhardus; Mors bonorum bona melior, optima, sed mors peccatorum mala, pejor, pessima.

VII. Neutri sunt orandi: pro neutris est orandum. Qui sunt cum Christo, habent, quod impetrare volumus; qui sunt cum diabolo, his impetrare non possumus. Nec est ullus ulli medius locus, ut possit esse, nisi cum diabolo, qui non est cum Christo. August.

VIII. Resurrectio est, qua in die novissimo, nobis incognito, quicunq; fuerint mortui, per Christum, cum sanctis suis & voce Archangeli in nubibus venturum, resuscitati; unione corporum & animarum instaurata, in vitam redibunt. Superstites immutabuntur in momento.

IX. Resurgent verò alii ad gloriam; quorum corpora etiam clarificata & spiritualia erunt; eadem, ut tradit Gregorius, per

naturam,

naturam diversa per gloriam; alii, ut impii, ad ignominiam, quorum corpora futura sunt, non nisi vasa contumeliæ. Omnes, ut extremo judicentur judicio.

X. Judicium extremum est, quo Christus in corona Apostolorum aliorumque sanctorum, juxta Evangelium suum, judicabit vivos & mortuos, & sententia definitiva atque incommutabili alios vitæ æternæ hæredes, alios inferni & Diabolorum mancipia pronunciabit.

XI. Quos vitæ æternæ declarabit hæredes, sunt Electi; quos inferno adjudicabit & mancipabit, sunt Reprobi.

XII. Electi sunt, quos Deus in Christum perseveranter credituros prævidit, ideoque secundum præscientiam illam, propter Christum, quem fide amplexuri erant, vitam æternam ipsis tribuere, iuxta beneplacitum voluntatis suæ ab æterno decrevit.

XIII. Vita æterna est, qua electi cum Christo & sanctis Angelis vivent & regnabunt, immunes ab omni molestia in sempiterna gloria, lætitia limpidissima, justitia castissima, Dei notitia illustrissima, adeoque beatitate perfectissima.

XIV. Reprobi sunt, quos Deus, qui voluntate sua misericordi (quam ἡγεμονικὴν vo-

cat

cat Damascenus) omnes homines salvos fieri volebat, in Filium, ut salvarentur, saltem non perseveranter credituros prævidit, ideoque eos secundum iustitiam suam, propter incredulitatem ipsorum, voluntate, quam dicunt ἑπομένην, damnare & inferno adiudicare constituit.

XV.

Infernus est carcer ille, in quo damnati à conspectu Dei cum ignominia & sempiterno opprobrio ejecti, æternùm excruciabuntur tormentis corporum animarumque inexhaustis, & inextinguibili igne, qui paratus est diabolo & angelis eius.

XVI.

Ultimum est Consummatio seculi, qua mundus hic, egressis incolis suis, aliis in cœlum, aliis in gehennam, ipse quoq; magno cum impetu, peribit per ignem.

COROLLARIA.

1. Non quali morte, sed quales ad se exeant, attendit Deus. Aug.

2. Reliquiæ sanctorum sunt honorandæ, sed ritè.

3. Non est anima defuncti, quæ dicit: Anima hujus ego sum: sed dæmon. Chryſ.

Non

4. *Non tàm precamur, quàm defuncto gratulamur, dicentes: Dominus soletur eum.*

5. *Cœlum ne curiosè scrutemur. Chrys.*

6. *Gehennam esse, ne per experientiam discamus. Id.*

7. *In inferno alius alio glorioſior.*

8. *Electio universalis est* πεπηρόξηλον.

9. *Electorum numerus est Deo certus, nec tamen fatalis.*

10. *Electi in faciem, reprobi retrorsum cadunt. Gregor.*

FINIS.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778722015/phys_0532
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778722015/phys_0534
DFG

Fr. Reppien,
Buchbinder
in
ROSTOCK
bey der Marien-Kirche.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778722015/phys_0535
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn778722015/phys_0536
DFG



http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn778722015/phys_0537



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778722015/phys_0538
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778722015/phys_0539
DFG

DECIMA TER

4. Non tàm precamur, q
gratulamur, dicentes: Do
um.
5. Cœlum ne curiosè scr
6. Gehennam esse, ne pe
discamus. Id.
7. In inferno alius alio gl
8. Electio universalis est
9. Electorum numerus es
tamen fatalis.
10. Electi in faciem, rep
cadunt. Gregor.

FINI

the scale towards document
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 032
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
4.5 5.0 5.6 6.3
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778722015/phys_0540
DFG